7
8-F
21

7
6 K
10

7-8 F 21

Digitized by Google

Florus Anglobavaricus

Digitized by Google

Digitized by Google

FLORUS
ANGLO-BAVARICUS

SERENISSIMO PRINCIPI

MAXIMILIANO EMMANUELI

DUCI BAVARIÆ, &c.

ET

MARIÆ ANTONIÆ

LEOPOLDI CÆSARIS FILIÆ,

Auſpicato Nuptiarum fœdere conjunctis inſcriptus.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

LEODII;
Ex Officinâ Typographicâ GUILIELMI HENRICI STREEL,
Suæ Sereniſsimæ Celſitudinis Typographi.

M. DC. LXXXV.

Dom: Profes: S. J.

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google



Digitized by Google

SERENISSIMO, POTENTISSIMOQUE
PRINCIPI AC DOMINO,

D. MAXIMILIANO EMMANUELI,

UTRIUSQUE BAVARIÆ, & SUPERIORIS PALATINATUS

DUCI,

COMITI PALATINO RHENI, S.R.I. ARCHIDAPIFERO,
ET ELECTORI,

NECNON

IN PARTIBUS RHENI, SUEVIÆ, & IN JURE FRANCONICO PROVISORI,
LANTGRAVIO IN LEICHTENBERG, &c.

ET

SERENISSIMÆ

MARIÆ ANTONIÆ, AUSTRIACÆ,

Felicitatem.

SERENISSIME PRINCEPS,

Inter confluentes undique gratu-

lantium choros, & publica Orbis Chriſtiani gaudia, dum auſpicatiſsima hæc *Celſitudinis Tuæ Electoralis* cum *Auguſtâ Domo Auſtriacâ* conjunctio, bonisque omnibus exoptatæ nuptiæ, meliora mundo ſæcula portendunt: ſilere nequeunt Alumni Collegii Anglo-Bavarici, tot titulis Tui, tot Beneficiis *Celſitudini Tuæ*, & *Sereniſſimæ Tuæ Familiæ* obſtricti. Suadent quidem privata gaudia, ſed publica cogunt eloqui.

Quid variæ ſyderum phaſes, & planetarum fallaces promittant aſpectus, judicandum relinquimus elaboratæ inſcitiæ Aſtrologorum: quibus volupe eſt ex arcanis Cœli paginis futuros rerum eventus promere, & ex arce Jovis non ignem cum Prometheo, ſed fumum ſuffurari. Saniorem

Digitized by Google

nos Aſtrologiam edocti, Divinæ Providentiæ ſecreta humiliter venerari, quàm curiosè ſcrutari malumus. Si tamen modeſtæ detur conjecturæ locus, ex tam optatis Hymenæis, & felici talium ſtellarum conjunctione universæ Reipublicæ Chriſtianæ omnia fauſta ominabimur, & dilatandæ Fidei certiora longè prognoſtica ex *Celſitudinis Tuæ Electoralis*, cum *Regiâ Sponsâ* Connubio deſumemus, quàm ex Aſcendente Marte, aut Jove Culminante.

Ad columen itaque Illuſtris Domus, ardentibus votis, SERENISSIME PRINCEPS, numeroſam Tibi Prolem exoptamus, ſed ſimilem Tui, & dignam Majoribus ſuis, in quâ perpetuò refulgeant Virtutes Electoralis Familiæ Tuæ, quam non Bavariæ,

Digitized by Google

EPISTOLA

non Germaniæ ſoli, ſed Eccleſiæ, ſed Orbi Chriſtiano univerſo fuiſſe cœlitùs datam, plurium jam ſæculorum experientia docuit. Nam ut remotiora taceamus, Bohemia, quod in Fide remaneat, Deo ac Cæſari reſtituta, MAXIMILIANI victrici dextræ acceptum refert. FERDINANDI MARIÆ auxiliis Turcas ſuperiori bello devictos, & ad Pacis conditiones acceptandas, armis adactos agnoſcit ipſius beneficio reſpirans Hungaria. Tibi verò Dux Serenissime, Tuiſque armis *Vienna liberata*, Tibi Hungaria, & Auſtria, cum Provinciis finitimis, ipſaque Germania debent, quod nuperæ Ottomanici furoris inundationi, uſque adeò non ſuccubuerint, ut reſtitutis viribus, ipſos jam Bar-

Digitized by Google

baros, intra muros ſuos trepidantes, laceſſant, & bellum non ampliùs expectent, ſed inferant.

Nec minimùm ſanè Anglia noſtra *Celſitudinis Tuæ*, & Sereniſſimorum Majorum munificâ liberalitate victa, & beneficiis devincta, trophæis Bavaricis adfert ornamentum. Veſtris nempè, & Cœli benignis afflatibus, nihil eſt clauſum, nihil impervium, & quos Natura reliquo ab Orbe divulſos, veluti in alterius mundi confinio collocavit, MAXIMILIANI, FERDINANDI MARIÆ, & MAXIMILIANI EMMANUELIS Pietas domitrix cordium invenit, & de inventis largiendo triumphavit. Quot Operariorum in vineâ Domini labores, quot exempla in vinculis ge-

Digitized by Google

mentium, quot in Fidei cauſâ obeuntium, quot denique errantium ad Ovile Chriſti reductionem, piiſſimis Veſtris debet infelix Anglia ſubſidiis? Scilicet hoc unum ſpectavit *Sereniſſimus Fundator*, ut qui ſuis hic ſumptibus pietate & litteris imbuerentur, cùm dominante in Angliâ hęreſi ſacro Bello confligerent: undè talem in eos procellam ab Hæreticis excitandam ominatus eſt, ut Collegium ſuum *Confeſſorum & Martyrum* (ita loqui dignatus eſt) crederet fore *Seminarium*. Quàm verus Augur fuerit, paucis exhibet, quem Tuis pedibus advolvimus, rerum ab Alumnis Tuis geſtarum Commentarius; qui, ſi jejunior videatur, pro Tuâ benignitate animum advertes plurimorum acta, temporum iniquitate periiſſe, quod

frequens

Digitized by Google

frequens perſecutio in Codices, & Bibliothecas Provinciæ, nihilo mitius quam in perſonas deſævierit. Speramus interim non ingratum fore, quantulumcunque demùm illud ſit: quod *Celſitudini Tuæ Electorali* offerimus, cujus beneficiis & favori, nos omnia noſtra debere, ultrò, & lubenter agnoſcimus.

Tu quoque ô Sereniſſima, ac Regia Sponſa, quæ ſola tanti Principis par meritis inventa, duas maximas & celeberrimas Auſtriæ & Bavariæ Domos, ſæpiùs antehac conjunctas, novo jam Conjugii fœdere conſocias; vivas diu, Cœlo terrisque ex æquo chara, heroïcarum exemplar virtutum, Germaniæ ſydus, & deliciæ ſæculi: & generosâ prole Bavariam dites, quæ æmulatione nobili,

Digitized by Google

ſuisque natalibus dignâ, fontis inſtar decurrentis, ad altitudinem ſcaturiginis ſuæ feliciter ſe attollat; nec unquam deficiat ex Auguſtâ Tuâ Stirpe, qui Bavariam, Imperium, & Eccleſiam ornet ſimul & protegat: Hæc Vobis à Deo beneficia SERENISSIMI PRINCIPES, cum felicitate omni aſſiduis votis precibusque efflagitabimus,

CELSITVDINVM VESTRARVM ELECTORALIVM

Humillimi Servi,
atque Clientes Obſervantiſsimi

Collegii Veſtri Leodienſis Alumni.

Digitized by Google

AD LECTOREM.

SI quando tantum otii Tibi fuerit, ut hæc noſtra evolvas, ſcito non alium Operi ſcopum eſſe præfixum, quàm ut in grati animi teſſeram, Sereniſſimis Fundatoribus exhibeamus, quâ induſtriâ & ſucceſſu Majores noſtri conati ſint piis illorum votis reſpondere. Quod cùm commune ſit obſequium, varios etiam in eo concinnando manum adhibuiſſe, ne mireris. In priori Libelli Parte, explicatâ MAXIMILIANI Bavari dignâ Familiâ ſuâ in fundando Collegio munificentiâ, ac noſtrâ intra domeſticos parietes, vivendi, docendiquе ratione paucis expoſitâ, brevia tibi damus nonnullorum Elogia, qui virtute, aut litteris excelluiſſe videbantur. His ſubnectimus, quos charitas tripliciter exercitos felici morte, vel in contagioſo morbo contactorum obſequio, vel carcerum incommodis, aut Car-

Digitized by Google

nificis, ob fidem, manu, ad meliorem vitam tranſmiſit. Porrò hi omnes, regentibus MAXIMILIANO, & FERDINANDO MARIA, in certamen vocati, feliciter triumpharunt.

In ſecundâ Parte eos in ſcenam producemus, qui ſub MAXIMILIANO EMMANUELE Bavariæ Duce, non minùs gloriosè & certavêre, & cecidêre. Ut porrò quæ in eâ dicturi ſumus, vel firmius credas, vel melius capias, trium te paucis monitum velimus. Primum eſt, quæ in hâc alterâ Operis noſtri Parte, de rebus majoris momenti proferimus, vel famâ publicâ nota eſſe, vel ex monumentis eruta publicâ Authoritate impreſſis. Ea ad marginem citare ſuperfluum duximus, quòd exteris potiſſimum ſcribamus, quibus nec libri ad manum, nec eos evolvendi facultatem daret Anglicani idiomatis ignoratio. Alterum eſt, ut cùm in conſignandis menſium diebus, antiquo Calendario utatur Anglia, memineris dum res in eâ geſtas conſcribimus, nos illud pariter adhibere, ſtylo novo uſuros (qui veterem decem diebus præcedit) dum alibi geſta recenſemus. Tertium, cùm

Digitized by Google

rei monetalis frequens mentio recurrat, ſcias Libram Anglicanam, quatuor Scuta Imperialia, aut Gallica, aliquot aſſibus excedere. Hoc monito faciliùs capies, quo pretio contra Catholicos teſtes conducti fuerint, & Sacerdotes ad carceres conquiſiti. Vale, & Proteſtationem quam his ſubjicimus, æqui boniq́ue conſule.

PROTESTATIO AVTHORVM juxta Decretum Urbani VIII. Pont. Max.

ELOGIA Virorum Illuſtrium, quæ hoc Libello continentur, non illo animo à nobis conſcripta, aut ab aliis accipienda eſſe teſtamur tanquam à Sede Apoſt. examinata & approbata forent, aut ullam iis ad quos ſpectant Martyrii aut Sanctitatis opinionem abſolutam, aut cultum, vel reverentiam religioſam cōciliare poſſent, aut deberent: quamvis obiter quędam ab iis geſta recenſeamus, quæ vel miracula, vel miraculis proxima videri poſsint, & illis ſubindè Martyrii & Sanctimoniæ appellationem videamur tribuere. Proindè Apoſtolicum Sacræ Inquiſitionis Decretum, & Sanctiſſimi D. N. Urbani declarationem, integrè à nobis ſervari omnes intelligant. Quod tam ſanctè profitemur, quàm decet eos, qui Sanctæ Sedis Apoſt. obedientiſsimi Filii haberi cupimus, & ab eâ in omni ſuâ ſcriptione & actione dirigi.

Digitized by Google

APPROBATIO

Per-Illuſtris & R.^{MI} Dñi Vicarii Generalis Leodienſis.

CUm Florus Anglo-Bavaricus, variorum Theologorum, qui eum legerunt, teſtimonio, nihil contineat Fidei, aut bonis moribus contrarium, permittimus ut typis mandetur. Datum Leodii vigeſimâ-ſecundâ Auguſti 1685.

JO. ERNEST. BARO DE SURLET,
Vicarius Generalis Leodienſis.

Digitized by Google

FLORI ANGLO-BAVARICI
PARS PRIMA
COLLEGII ANGLORUM SOC. JESU LEODII
FUNDATIONEM,
ET QUÆ DEINDE SUB
MAXIMILIANO,
ET
FERDINANDO MARIA
BAVARIÆ DUCIBUS,

Ad hæc ferè tempora geſta ſunt, paucis complectens.

Digitized by Google



FLORUS Anglo-Bavaricus.

COLLEGIUM ANGLORUM Leodii fundatur & dotatur à Sereniſſimo Bavariæ Duce MAXIMILIANO.

SOCIETAS JESU, jam indè à ſuis incunabulis variis perſecutionibus exercita, nunquam vel felicior vel glorioſior fuit, quàm cùm rebus adverſis conflictaretur. Et verò Divina Bonitas eò ſe maximè vel amabilem, vel admirabilem oſtendit, quod ſuos adversâ fortunâ exercere ſoleat, ut poſt guſtatas Crucis delicias, ſua ipſis beneficia & dona cumu-

Perſecutionibus crevit Societas.

latiùs largiatur. Hinc certè ſuam originem & incrementa duxit Societas: hinc ad illam ſurrexit amplitudinem, ut unius ſæculi ſpatio toto Orbe diffuſa, labore improbo, nec impari fructu, ad promovendam Dei gloriam, & animarum ſalutem procurandam incumbat. Id etiam in Annalibus noſtris notatu dignum occurrit, Divinum Numen ſingulari aliquâ gratiâ Societatem vix unquam cumulaſſe, cui perſecutione aliquâ non fuerit proluſum.

Et Provincia Anglicana.

Ne Provincia Anglicana, Minimæ Societatis Filia minima, Matri ſuæ eſſet diſſimilis, parem cum illâ fortunam experiri debuit. Roberto Perſonio, & Edmundo Campiano ubi in Angliam per clauſos Sacerdotibus portus, Deo favente, penetraſſent, quàm triſtis rerum facies occurrit? Gravis Catholicos omnes perſecutio premebat, Sacerdotes præſertim àd vincula conquiſiti; & ſi qui in manus Hæreticorum deveniſſent, exquiſitiſſimis cruciati ſuppliciis, ni Romani Pontificis authoritatem ejuraſſent. At in nullos æquè incubuit hæc procella atque in Jeſuitas, quos ideò capitali odio proſequebantur Hæretici, quod Sedi Apoſtolicæ ſollennis Sacramenti religione devoti, illius authoritatem præ cæteris defenſuri credebantur. Ad Patres ergò in vincula conjiciendos intenta Apparitorum cura: dimiſſi quaquaverſum Exploratores, & amplâ mercede conducti, qui Perſonium aut Campianum comprehenderent: ut hic non immeritò dixerit, *offendiſſe ſe fluctus haud paulò ſæviores in Anglicano littore, quàm quos in Oceano Britannico recens à tergo reliquerat.* Captus tandem Campianus glorioſâ morte Fidem Catholicam aſſeruit. Perſonius nullibi paſſus conſiſtere, ac majora inſuper meditans, ſpontè in exilium conceſſit, ut mitiorem alio ſub Sole Patriam quæreret, & quæ ad Dei gloriam mente conceperat, exequeretur. Prævidebat ſcilicet Vir ſapiens in tantâ noſtrorum paucitate, niſi nova Soboles ſuccreſceret, non duraturam progeniem, quæ novas indies ſuppetias poſcenti Patriæ ſubmitteret. Quare ad procuranda extra Angliam (cùm id intra Regni limites fieri non poſſet) domicilia,

In Proœmio decem rationum.

Roberti Perſonii conſilia & ſucceſſus.

imbuendis pietate & litteris adoleſcentium animis neceſſaria, curas adjecit. Adfuit pio conſilio Deus, & Perſonius, quà ſuâ, quà aliorum, quos excitarat induſtriâ, quatuor fundat Domus; Audomari pro humanioribus, Leodii pro ſeverioribus ſtudiis, Wattenis verò, & Gandavi pro conſuetis ſive Tyronum, ſive Veteranorum virtutis exercitationibus obeundis. Acceſſit & alius Numinis favor, complures ſcilicet juvenes Anglos virtute, litteris, genere claros, nec legum ſeveritate, nec carcerum, aut mortis metu ab ineunda Societate fuiſſe deterritos: ut confluentibus undique Candidatis, grex initio exiguus, in Vice-Provinciam primùm, tum in Provinciam frendente hæreſi excreverit: *Non vano uti ſperamus augurio, non ceſſuram unquam hæreticorum furori, quæ rebus aſperis, tanquam lacte nutrita, ſanguinem reddere parata eſt.* Quàm hac in parte Majorum de ſe expectationi reſponderint Collegii Anglo-Bavarici Alumni, brevis hic Commentarius docebit, quam idcircò aggredior, ut æternum Munificentiæ Bavaricæ monumentum erigatur. *Ex incremento Provinciæ.*

JAcobo Scotiæ Regi, ad Regni Anglicani gubernacula per mortem Elizabethæ Reginæ evocato, ſuggeſsit Bancroftius Pſeudo-Archiepiſcopus Cantuarienſis, è re Anglicanæ Religionis fore, ut Collegium erigeretur, in quo Viri Docti in conſcribendos libros unicè incumberent; quibus errores, ut vocant, Papiſtarum refellerentur, ac novis ſtabilirentur rationibus Proteſtantium placita. Annuit Rex, ſumptusque ſuppeditat. Surgit in altum ædificium, ſed irrito ſucceſſu. Bancroftio enim haud ita multò poſt è vivis ſublato, ſuperba illa Babel in infame proſtibulum convertitur. Incœpti operis ratio Viro Nobili Anglo, ad Fidem Catholicam nuper traducto, mentem injicit, Collegium Collegio, & Hæreticis Orthodoxos Doctores opponendi. Seponit eum in finem amplam pecuniæ ſummam, quâ Patribus Societatis JESU, à quibus veræ Fidei lumen hauſerat, *Occaſio Collegii ædificandi.*

Digitized by Google

apto locō Collegium ſtatuatur. Æs illud, Patrum hortatu, quum per temporum iniquitatem ad cenſum dari tutò non poſſet, in coëmendis in Italiâ fundis impenditur. Rei totius adminiſtratio Italo cuidam committitur, qui augendæ familiæ, quàm juſtitiæ ſtudioſior, pecuniam omnem dilapidat. Noluit videlicet Deus Nobilem illum Anglum, qui à ſuſceptæ Fidei ſanctitate ad amores improbos prolapſus fuerat, ad illud opus perficiendum adhibere, ad quod *fideliorem ſuæ gloriæ adminiſtrum* olim elegerat.

Ejuſq; initia Lovanii. Dum hæc fierent, Patres, Itali fraudis, uti adhuc ignari, ita omninò ſecuri, de Collegio inſtituendo cogitant. Emerant ante annos aliquot Lovanii Domum, quæ Equitum Melitenſium olim fuerat, in quâ Novitii conſuetis tyrocinii exercitationibus ad virtutis ſe normam fingebant. His in vicinas ædes tranſlatis, ſucceſsêre Theologi & Philoſophi, novi Collegii exordia poſituri. Felici ſucceſſu ſtudia incœpta, & per tempus aliquot continuata: Andreâ Vito, Joanne Floydo, & Thomâ Sotovello res Theologicas moderantibus, aliisque, qui magnos olim in Viros evasêre, Philoſophiam tractantibus. Sed novæ haud ita multò poſt difficultates exortæ. Nam Jacobo Angliæ Rege minis, & terroribus Belgium implente, ſi Catholici, in ſe, ut aiebat, rebelles ad illud azylum admitterentur, non poterant prudenter ſperare *Brevi diſturbata.* Patres diuturnam ſibi Lovanii commorationem fore. Certè Regii Miniſtri, quaſi experiundi gratiâ quid in Patres moliri poſſent, Nobiles ſæculares Lovanii degentes ſubmiſſo Apparitore ad Regium Londini Tribunal citant, niſi pareant bonis omnibus exuendos. Quare ad quærendas alibi ſedes animum adjiciunt. Ne tamen plura ordirentur, quàm perfecturos ſe ſperarent, primò Tyrones aliò amandare viſum eſt. Dumque undique circumſpiciunt, *Leodium* quam in partem curſum flectant, occurrit vicinum Leodium. Erat illa anteactis ſæculis Eburonum ſedes, qui longè lateque Julii Cæſaris ætate dominabantur. Gens bello fortis, & opibus

Digitized by Google

florens haud parùm Romanis negotii faceſſivit. Deſtructa Urbs vetus novæ locum fecit, quæ D. Lamberti Martyrio quaſi dedicata, ad eam crevit amplitudinem, ut inter magnas Europæ Civitates meritò numeretur. Sedem in illâ Epiſcopalem tenuit FERDINANDUS Colonienſis Elector, ac Princeps Leodienſis ex Familiâ Bavaricâ oriundus. Eo vel invitante, ut affirmant nonnulli, vel ſaltem cum Per-Illuſtri ſuo Capitulo annuente, ſub finem anni milleſimi ſexcenteſimi decimi-quarti Leodium migrant Patres, felicibus ſanè auſpiciis. Dum enim FERDINANDI Bavari benevolentiâ uſi, atque authoritate ſuffulti, domicilii novi fundamenta jaciunt, in MAXIMILIANI Bavariæ Ducis notitiam deveniunt, cujus munificentiâ opus ad culmen eductum, & Collegium amplè dotatum eſt.

Migrāt Patres.

Operi tanto præficiendus erat Vir animo pari, atque ad obſtacula quævis perrumpenda erecto. Experientiâ enim didicerant tum Audomari, tum Vattenis, quàm difficile ſit alieno ſub cœlo pedem figere. Enimverò cùm illic Seminario ad Nobilium Adoleſcentium animos virtute, & litteris imbuendos: hîc verò Tycinio aptum locum deſignant, quaſi Exploratores excepti ſunt: juſſique fuiſſent loco faceſſere, niſi Regis Hiſpaniæ, & Iſabellæ Belgii Principis reſtitiſſet authoritas. Deſignatur itaque Domui tum exædificandæ, tum regendæ P. Joannes Gerardi (Thompſonum ſe Leodii vocitabat) probatæ Vir virtutis, & acerbiſſimâ quæſtione in Turri Londinenſi ſæpiùs exercitæ. Hic coëmpto decem circiter jugerum fundo, comparatiſq; rebus neceſſariis operi manum quamprimùm admovet. Locum delegerat mœnibus vicinum, Occidentem & Septentrionem ex æquo reſpicientem, ex adverſo horto PP. Capucinorum contiguum, atque ad Boream viâ clauſum militari; quam etiam cum cætero fundo, utpotè nullis Civium uſibus ſervientem coëmerat. Collis erat leviter aſſurgens, eaque amœnitate, ut non poſſet ædificium novum meditanti non arridere, videbiturque alium locum eligentis judicium condemnaturus.

Operi Præfectus P. Joannes Gerardi.

Locum Collegio deſignat.

Digitized by Google

Id etiam commodi acceſſit, quod fundus ipſe tum argillam coquendis lateribus, tum lapidem ad ædificii fundamenta, hortumque prælto vallandum muro aptiſsimum ſuppeditaret. Conductis itaque operis lapides eruit, ſimulque adlaborat, ut dum neceſſaria providet, collem in varias redigat planities, è cujus infimâ, multiplici quidem, ſed facili aſcenſu ad ſupremam iretur.

Exorta inopinatò difficultates. At brevì perſenſit, cum eâdem ſibi fortunâ confligendum, quam Audomari & Wattenis experti fuerant Socii. Variæ enim à variis exortæ difficultates, ac operis incœpti progreſſus tandem prohibitus. Sed anno ferè vertente, electis in Conſules Ampliſsimis Viris Matthiâ Dans, & Joanne de Mean (quorum in nos benevolentia etiamnum vivit in poſteris) difficultates primùm ſopitæ, ac tandem Sereniſsimi Electoris Colonienſis, licet Urbe abeſſet, authoritate planè extinctę ſunt. *Extinctæ.* Pax noſtris modò reſtituta, quę ſeptuaginta exindè annorum curriculo, nullis turbata inimicitiis, nullis obnoxia difficultatibus fuit, ſed non interruptâ Conſulum, Civiumque mirè nobis ſtudentium benevolentiâ honeſtiſsima.

Extruitur Collegium. Reſumptum exindè ſecuriùs opus, & currente hujus ſæculi Anno decimo-ſexto, Domus continuo labore ſurrexit eam in formam, quâ hodie conſpicitur. Septuaginta gradus ex lapide quadrato, brevì poſt denos quoſque gradus interjecto intervallo, à plateâ ad primam Collegii portam ducunt. Sacellum habet exiguum, ſed neque inornatum, neque accurrentium Civium uſibus incommodum. Domus ipſa ad normam Architecti ædificata non abſimili eſt formâ. Cùm in latere Montis ædificium ſurgeret, præaltis opus erat fundamentis, utque tota moles ſecuriùs conſiſteret, alia ad Auſtrum adjecta ædium pars, cujus fundamenta in plano locata à periculo magis abeſſent, & majus ædificium firmiùs ſuſtinerent. Inferiùs cubicula Famulorum, & præparandis Religioſæ Communitati neceſſariis Officinæ. In Hortum ex Collegii areâ præbent aſcenſum gradus viceni, per portam, quæ poſtmodum Gentilitio Domus Bavaricæ Scuto inſignita eſt. Dulce hîc intran-

Digitized by Google

tium oculis panditur theatrum. Planities ampla in varias diſcriminata areolas, non tam ſumptu, quàm decore ſepium notabiles. Gemina hic indè, ex adverſo ſimplex fagorum ſeries, quæ gratâ amœnitate ſpectantium oculos paſcunt, & umbram Studiorum labore feſſis perquàm neceſſariam conciliant. Si glebæ fertilitas amœnitati reſponderet, copioſiorem herbarum & olerum proventum promitteret, ſed ea è contra illius ſterilitas eſt, ut quidquid indè ad culinæ uſum colligitur, induſtriâ Hortulani prolici potiùs, quàm ſpontè enaſci videatur. In mediâ hâc planitie aſſurgit machina variis à P. Franciſco Lino, olim Matheſeos Profeſſore, horologiis ornata: his luce directâ, illis reflexâ, aliis denique aquæ miniſterio horam indicantibus. Exteris placere illud ſolet, quo cœcus horam ad Solem cognoſcit, tactu, non viſu edoctus. Ulteriùs ad ſuperiora tendentibus duplex occurrit aſcenſus, interjectâ ambulatione duplici arborum ſeptâ ordine. Hic in ſcapho ex albo lapide, D. Virginis, & ex adverſâ facie D. Joſephi ſignum conſpicitur, Alumnorum in utrumque pietatis argumentum. Hæc prima, ſed non inamœna Pomarii planities, arboribus frugiferis utrimque conſita, præaltis Tiliis medium occupantibus. Tum vicenis gradibus in altum ducentibus occurrit Philoſophorum recreationi, diebus veniæ, deſtinata pergula, ubi arborum beneficio luditur in umbrâ. Hinc rurſus per varias planities, modico poſt ſenos quoſque paſſus, aſcenſu interruptas, arboribuſque frugiferis conſitas, pervenitur ad Domum, cui à S. Ioſepho nomen, peſte contactorum uſibus, ſi qui è noſtris, Deo permittente, lue afflarentur, deſtinatam. Hinc tum in ſubjectam Urbem, & præterlabentem Moſam, tum in vicinos, qui Urbi adjacent, montes proſpectus liberior, quæ exteros frequenter ad viſendum invitat. Poſtrema deindè Pomarii planities aperitur, quà arboribus conſita, quà ſphæriſteriis Theologorum luſui aptis inſtructa. Collegii, totiuſque collis ambitus, excelſo, quà Orientem & Meridiem reſpicit, vitibus conveſtito muro, præcingitur, ducentibus à plateâ

Horti ſitus & amœnitas.

Digitized by Google

ad ſummum uſque Horti gradibus ſuprà ducentis.

Quibus impenſis hæc fierent. Fiebant hæc omnia ære ex Catholicorum Anglorum maximè eleëmoſynis corraſo. Gravi enim in Angliâ ſæviente perſecutione, complures ex ſuâ aliorum inopiam metientes, tunc nobis profuſiùs ſuccurrerunt, cùm, acciſis fortunis, minùs haberent quod largirentur. Hoc in genere maximè enituit virtus Georgii Talbotti ex Salopienſium Comitum (in quorum poſteà titulos & jura ſucceſſit) oriundi Familiâ, cui ipſe ſuâ pietate novum ſplendorem adjecit. Non exiguâ enim patrimonii parte divenditâ, æs indè conflatum tum perficiendo ædificio, tum diluendis Patrum debitis benignè applicat. Neque aliis par defuit pietas & munificentia, qui, præconcepto hujus operis fructu, illud pro ſuo quiſque modulo promovere ſtuduerunt. MAXIMILIANUM Bavariæ Ducem hìc præterire nefas eſſet, niſi commodior inferiùs de illius Munificentiâ tractandi ſeſe offerret occaſio.

Georgii Talbotti Comitis Salopienſ. laus & liberalitas.

Dum hæc agerentur, Bonnâ Leodium redit Sereniſſimus Elector FERDINANDUS, & ſingulari exules Patres benevolentiâ complectitur: familiari dignatur alloquio, ad Collegium frequenter aſcendit, de ſopitis turbis multa interrogat. Pleniùs deindè de ſuſcepti operis progreſſu edoctus, inſtitutum laudat, ut porrò pergant hortatur, opibuſque noſtrorum ſtudia non levibus juvat. *Innatum ſcilicet Bavaris Principibus eſt, egenis ſuccurrere, ac Patres præſertim Societatis JESV fovere.* Neque hìc ſtetit optimi Principis in nos benevolentia. Cùm enim ſciret inſtituta hujuſmodi durare non poſſe, & ædificium parvi intereſſe ſine ſtabili dote, quâ Religioſi alantur, Prioratus aliquos juris ſui in Patria Leodienſi in conſtans Collegii ſubſidium mente deſignat. Dum hæc ſecum volvit, at Urbe frequenter abſens perficere opportunè non poteſt, à Fratre ſuo MAXIMILIANO Bavariæ Duce ſpontè ſe præveniri paſſus eſt.

Ferdinandi Elect. Col. pius in Patres animus.

Anno 1618. Appulerat fortè ad aures Sereniſſimi Ducis fama P. Ioannis Gerardi, qui tunc operi & Sodalibus præfuit. Viri genus illuſtri

familiâ

Familiâ ductum, animi præclaræ dotes, ac præſertim carceres & tormenta, quibus Catholicam Fidem conſtanter aſſeruerat, jam tum innotuerant MAXIMILIANO. Hinc pro eo quo ardebat generoſiſſimum pectus zelo, miro affectu Gerardum proſequi; litteras ab eo poſtulare, mutuaſque reddere. Scribendi plerumque argumentum res Anglicanæ dedêre; Sereniſsimo Duce, quis rei Catholicæ in eo Regno ſtatus, quæ ſpes, quæ piam olim gentem ad Chriſti ovile revocandi ratio, ſtudioſè flagitante, & Gerardo accuratè reſpondente. Hæc noſtri cum Sereniſsimo Duce commercii exordia, quod ita FERDINANDI Fratris commendatione, & Georgii Talbotti, qui Monachii tunc degens ſummâ apud Ducem gratiâ pollebat, induſtriâ, ita excultum fuit, ut Dux non tam de nunciis ex Angliâ allatis quàm de levandâ exulum inopiâ ſollicitus eſſet. Certè grande aliquid in Angliæ emolumentum jam tum meditabatur; licet, exhauſto penè ærario, certi nihil poſſet ſtatuere. Interea Patres eleëmoſynis, ſuâ ſanè munificentiâ dignis, juvare, & ad æs alienum, temporum iniquitate & ſumptuum magnitudine contractum, diſſolvendum, nunc terna, nunc quina florenorum Rhenenſium millia ſubmittere. Orſus eſt hanc liberalitatem à conſuetâ in Deum, ejuſque Virginem Matrem pietate. Cùm enim Sacellum ad rem Divinam faciendam extructum reſciſſet, florenis mille trecentis Tabernaculum pro condendo Venerabili Sacramento, & Thecam, ubi Virginis Statua reponeretur, faciendam curavit. Xenia ſubindè ſpiritualia, nunc ſcilicet Sacrificiorum & Precum certum numerum, nunc Reliquias Sacras, in animi grati teſſeram, remittit Gerardus, & qui ipſi haud ita multò poſt in regendi & ſcribendi munere ſucceſsit Henricus Siliſdonius. Placet pio Principi Patrum officium, verbiſque intimum animi ſenſum eloquentibus, per litteras agit gratias.

Maximiliani Bavariæ Ducis pro Regno Angliæ ſollicitudo.

Et in Patres munificentia.

Nihil tamen Duci acceptius accidit, quàm quod Pater Natum Fratri ALBERTO Filium ipſi gratulatus, ſubjunxerit ſe ſuoſque *Divinæ Clementiæ preces indefeſſas, & continuatas pœnitentias*

Gerardus Duci Filium optat per litteras.

offerre, ut, multiplicatâ tam ſanctâ Familiâ, non deſit Soboles, quæ ex ipſius lumbis tanquam optimâ radice germinans in Solio Bavarico ſedeat. Quibus conſueto in exules animo, reſpondet MAXIMILIANUS. *Pluribus nominibus gratæ mihi advenêre Reverentiæ veſtræ litteræ, quibus imprimis natum Fratris Filium gratulatur, ac mihi ſimul ſimilem, quem à Deo precibus poſtulaturum promittit, adprecatur. Hinc eſt quod gratias illi referam duplicatas, atque in propoſito ut perſiſtat etiam atque etiam rogem. Nec enim eſt abbreviata manus Domini, qui fortè pluribus precibus, & noſtris exercitationibus delectatur. Aſtrinxi me quondam voto Beato Ignatio veſtro, ſi hoc mihi beneficium obtineret, Ignatii nomen impoſiturum Filio, atque Collegium Societatis exſtructurum & dotaturum, ubi P. Generali ac prudentibus magis videbitur ex publico bono. Quid ſi Deus hinc vobis provideat! ſed ipſemet diſponet, ut hactenùs, quæ de veſtrâ Domo præordinavit, &c.* Quid porrò Divina præordinatio ad promovendos noſtros in Angliæ bonum conatus ſtatuerit, exindè patuit, excitato, qui hæc ſuggerebat, MAXIMILIANO, ut opus tantum perficeret ipſe, atque optato fine coronaret. Votum enim exolvit priuſquam eo teneretur, & ante ſuſceptum Filium, cui Ignatii nomen imponeret, Collegium Anglicanum Leodii, licet maximis implicatus difficultatibus fundavit, dotavitque.

Ducis reſponſum.

Circa hoc tempus P. Joannes Gerardi, cui prima cum Duce Bavariæ commercii exordia debet Provincia Anglicana, rebus licet nondum confectis, Leodio avocatur, ac primò in Hiſpaniam, mox Romam mittitur, ubi morbo contracto, paulò poſt moritur. Vir erat animo ad omnia imperterrito: in rebus ſuſcipiendis cautus, in agendis fortis, & qui conſilio & induſtriâ per adverſa quæque eluctaretur. Dum in Angliâ degeret, perſonam fingere ſcitè norat, quo Apparitorum artes ſæpè eluſit. Captus mentem attulit tortorum ſævitiâ ſuperiorem, qui, ſæpè repetitâ quæſtione, nihil extorquere poterant Viro Nobili & Religioſo indignum. Denique poſt

P. Gerardus Leodio avocatur.

Ejus elogium.

Digitized by Google

adminiſtratam cum laude Domum Leodienſem, formatisque ſummâ induſtriâ ad virtutem Tyronum animis, ipſe virtutum omnium vivum exemplar, magnum ſui moriens deſiderium reliquit.

P. Henricus Siliſdonius mox P. Odoenus Shellæus Collegio præfſ.

Gerardo ſufficitur P. Henricus Siliſdonius, qui non minore Sereniſsimi Ducis gratiâ uſus, cœptum litterarum commercium haud indiligenter perſequitur. Sed anno demùm hujus ſæculi vigeſimo quinto, rebus Societatis Anglicanæ in Belgio compoſitis, annuente Iſabellâ Principe, Siliſdonius cum Novitiis Wattenas miſſus, & P. Odoënus Shellæus cum Theologis & Philoſophis, quibus Lovanii præfuit, Leodium venit: Domum Tyronibus deſignatam in Collegium verſurus. Eò certè felix, quod vineæ aliorum cultæ operâ fructus decerpſerit, & MAXIMILIANI Bavari annuas eleëmoſynas ſtabili commutatas fundatione viderit.

Quid ad bellum Bohemicū contulerit Maximilianus Bavarus

Germania per hoc tempus ferali bello diſtrahebatur, Palatino Bohemiæ ſceptrum prenſante, ſibique arcto fœdere conjunctis Principibus aliis. Pro Cæſare ad recuperandum illud Regnum ſtabat MAXIMILIANUS, variisque annis, quibus protractum eſt bellum, magnos exercitus conſcripſit, Regum opibus vix alendos. Certè Ferdinandus Imperator in Comitiis Ratisbonenſibus palàm pronuntiavit, Bavarum in bellum Bohemicum aliquot argenti myriades contuliſſe. Porrò æs tam grande conditionibus quàm iniquis confecerit, ex P. Buſlidio (erat is Duci à ſacris Confeſsionibus) abundè liquet. Litteris enim ad Gerardum ſeptimo Martii datis anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo-ſecundo, ſignificat Campſores pro Dalero Imperiali octonos florenos exegiſſe, cùm in ſtipendiis militi ſolvendis, ternis tantùm æſtimarentur. His adde uſuras ſeptunces quotannis perſolvendas, & liquidò conſtabit MAXIMILIANUM, ut argenti ſui minimè parcum, ita boni publici ſtudioſiſſimum fuiſſe. Quid in his rerum anguſtiis ad exulum ſolatium ageret Pius Princeps? Pecuniam belli nervum eſſe, & mercenarium militem, ſi ſtipendiis fraudaretur, ad hoſtem citò tranſiturum non ignorabat: gravari novis exactionibus exhauſtas Provincias non oportere:

Quibusq; conditionibus.

Digitized by Google

probè norat, rei tum militaris, tum politicæ prudentiſſimus Princeps.

Succurrit Collegio. Interea Collegium Anglicanum conſuetis eleëmoſynis juvare non deſtitit: imò, novis circa hæc tempora exortis in Imperio bellis, magis quàm antea illius curam intendiſſe viſus eſt. Certè Anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo-ſexto ſciſcitatur cur à Rectore Leodienſi de rebus Anglicanis litteræ non afferrentur. Intellexit, portubus clauſis, nihil inde nuntiorum afferri. Tum quærit, an quid indè patiantur Patres? Audit nihil ex Angliâ ſubſidii venire, anguſto Leodii rem eſſe loco. Tunc Imperii & Bavariæ ſuæ, quam vel Fœderati, vel hoſtiles exercitus vaſtaverant, quaſi oblitus, dote perpetuâ cohoneſtare Leodienſe Collegium

Et fundare cōſtituit. conſtituit. Neque diù Munifico Principi deliberandum fuit. Eodem enim Anno tabulas conficit, quibus ſe, Succeſſoreſque ſuos ad dena florenorum Rhenenſium millia quotannis ſolvenda obſtringit. Verbatim hoc Diploma inſerere inſtituta brevitas non patitur. Ne tamen eximia Pietas & Munificentia Sereniſſimi Principis in obſcuro ſit, viſum eſt pauca delibare, ut, quo fine, quâ Succeſſorum ſuorum ac Patrum Societatis obligatione, rem tantam ſuſceperit, legant ſtupeantque ætates omnes conſequentes.

Divina enim beneficia recolens. Obverſabantur continuò Pii Principis animo Divina in Familiam Bavaricam beneficia, ac præcipuè quod *Orthodoxam Religionem, &, quæ fide Catholicâ nititur, pietatem ita ſtabiliverit, auxeritque* Deus, *ut in hac parte nulli Provinciæ cedat Bavaria.* Quæ *ſibi Majoribuſque ſuis communia* ubi recenſuiſſet, *collata benigniſſimè* in ſe unum *dona* ſpeciatim explicat, grato animo agnoſcens ſe, cùm *in Adoleſcentiâ regendam Rempublicam ſuſcepiſſet, maximis difficultatibus expeditum, ornandæ etiam Patriæ, proferendique Principatus facultatibus idoneis paternè ſuppeditatis. Orto deindè bello in ſummis ſe periculis manu omnipotente protectum, & Orthodoxam Religionem multis victoriis defenſam agnoſcit His cum exultatione ac tremore perpenſis, quid viciſſim Divino ejus Numini

gratiſſimum ſit diſquirit, tandemque deliberato & maturo conſilio ſtatuit acceptiſſimum ei fore, ſi hoc exulceratiſſimo tempore, Orthodoxos & in divinarum rerum ſcientiâ conſpicuos Sacerdotes alat, qui fideles roborent in fide, & errantes in viam ſalutis reducant. *Statuit Sacerdotes hæreſi opponere.* Percurſo deindè, graſſante undique hæreſi, Eccleſiæ Dei afflictiſſimo ſtatu, in *Britanniam* oculos conjicit, *à quâ, Germania Fidei & Religionis olim ſumpſit principia*, cujus *neceſſitatem longè maximam deplorans*, ſtatim pronuntiat: *Loca illa majoribus munienda præſidiis, ubi vis hoſtium major ingruit: nitendumque ut ſint qui Hæreticis vi & ferro armatis, Dei verbo ſe opponant. Inter quos, cùm ipſi certò conſtaret graviter laborare Patres Societatis JESV, perferendo contumelias, carcerum cruciatus, & mortem pro Chriſti nomine, utiliſſimum Eccleſiæ judicat, ut eorum fervorem ſuis opibus juvet.* Tunc recenſitâ ſuâ in Collegium Anglorum Leodii, *ſivè cùm Novitii, ſivè cùm Theologi ad grande docendi munus, animamque pro Chriſto ponendam ibi informarentur*, annuâ Benignitate, ejuſque miſero ſtatu ob oculos poſito, *Suo, & Sereniſſimæ Conjugis* ELIZABETHÆ *Lotharingiæ & Barri Duciſſæ nomine, Collegium illud fundat & dotat, ut in eo Religioſi ſecundùm Regulas in pietate, ſcientiâque inſtituantur.* *Collegiū Angl. Leodii olim juvit.* Porrò in Collegii dotem *ducenta florenorum Rhenenſium millia conſtituit*, quam ſummam ita partitur, *ut pro Domo & Horto quadraginta, pro cætera fundatione centum & ſexaginta florenorum millia* attribuat. *Nunc ſuo, & Conjugis nomine dotat.* *Cùm autem in vicino aliquo loco pecunia illa tutò collocari non poſſit, nec in emendis prædiis occupari, ſtatuit ex ſuo Ærario Monacenſi quinque florenos in centum pendere, ut indè in ducenta millia ſummæ capitalis, decem millium annuorum cenſus creetur, ſuo ſumptu per partes dimidias, ſuoque periculo in binis Nundinis Francofortenſibus perſolvendus.* Tum ſeverè cavet, *ne ſumma illa vel pars ejus aliqua alienetur, ut Fundatio perpetua ſit.* Reſervatâ deindè ſibi, & Succeſſoribus *reluendi poteſtate*: permiſſoque Patribus, *ſi libertas veræ Religionis in Britannia concedatur, ut hoc eò transferatur Collegium*;

Succeſſores ſuos obteſtatur. *Succeſſores ſuos per exempla & merita Majorum ſuorum, per charitatem dulciſſimæ Patriæ, per miſericordiam Dei, per illud extremum & terribile judicium, aut ſi major poteſt eſſe obteſtatio, hortatur ut hanc ſuam fundationem eâ fide & conſcientiâ curent tanquam de quâ coram Æterni Judicis tribunali, ſe ſeverè poſcente, rationem ſint reddituri.* Porrò *ab ipsâ* Societate, quàm benigniſſimè hâc dote impertitur, *nil ſingulare repoſcit, illud* ſolummodò requirens *ad quod inſtituto ſuo tenetur : Quòd perſuaſum illi ſit omnes ſecundùm Inſtituti ſui rationem, ita in ſapientiæ & virtutis ſtudia* incubituros, *ut plura præſtituri ſint, quàm ſi ipſe modum formamque præſcripſerit.* Tum quaſi humaniter petit, *quod Jure ſuo poſtulare poſſet, ut ſe ſuamque Conjugem pro Fundatoribus Patres agnoſcant, piiſque ſe precibus Divinæ Protectioni commendent, ac Domum ſuam, Patriamque, quam ad hanc tam difficili tempore fundationem obligat, amore & orationibus perpetuò proſequantur.* Hiſce pro eo quo flagrabat Divinæ gloriæ ſtudio, pium monitum ſubnectit, *omnes, præſertim poſteros, per JESV-CHRISTI Sanguinem rogans, ut ſicut ipſe Proavi ſui Wilhelmi, Avi Alberti, Patris Wilhelmi affectum in tuendâ Societate, atque hanc benefaciendi hæreditatem cupidiſſimè amplectitur, &c. Illi quoque Majorum S. Ignatii, & aliorum Sanctorum, & Doctorum Virorum veſtigiis gnaviter & conſtanter inſiſtant : memores, ideò nullas in hac Fundatione conditiones poſitas, quod experiatur Patres Collegiorum quæ in Bavariâ ſunt operas ſuas Legibus fundationis non continere, ſed ultra pacta, zelum laboresque extendere.* Tunc denuò Succeſſores *obligat ut ſtatuta in hac Fundatione ſpontaneè & inviolabiliter obſervent, nec minùs prompti ſint quod in exteros hoc beneficium collatum ſit, cùm nullus Chriſti Sanguine redemptus charitati ſuæ cenſeri debeat externus : imò tantò gratiorem hanc oblationem fore ſperat, quo ab omni proprii commodi ſpecie purior eſt ; nec exiguum Familiæ ſuæ decus exiſtimari oporteat, Collegium quod Seminarium eſt Confeſſorum & Martyrum, ſuo ſumptu ſuſtentari, cùm hac*

A Societate quid requirat.

Imitatus Majores ſuos, Patres hortatur, ut S. Ignatium, aliosque imitentur.

Cur in exteros hoc beneficium contulerit.

Digitized by Google

communione de eorum meritis & orationibus participare ſe ſperet, quod tot Chriſti Diſcipulos, imò Confeſſores & Martyres de ſuo reficiat. Demùm ſibi, Conjugi ſuæ, Succeſſoribus & Patriæ benè precatus, Inſtrumentum hoc ſuo Chirographo & Sigillo munivit octavâ Septembris, Anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo-ſexto.

Quot tum pietate illuſtria, tum munificentiâ planè Regia documenta contineant hæ litteræ, aliis verbis explicare, ſupervacaneæ eſset operæ. Enimverò nec finem ſibi præfigere nobiliorem, nec majori prudentiâ ad finem apta media ſeligere potuit verè Pius verè Sapiens Princeps. Solius Dei gloriam, & errantium Chriſti ovium ad Cœleſtis caulam Paſtoris reductionem ſpirâſse viſus eſt, cùm hoc Diploma confecit. Quod Britanniam præ cæteris Regionibus hæreſeos lue contactis reſpexerit, illuſtre etiam grati animi argumentum eſt. Cùm enim *Germania* indè *Fidei Chriſtianæ*, ut ipſe aſserit, *primordia ſumpſerit*, (Bonifacio, aliiſque ex Inſulâ oriundis veram in iis Regionibus Religionem diſseminantibus, ipsâque adeò Bavariâ, Lucio Britannorum Rege prædicante, in Chriſtum credere edoctâ) vicem rependere voluit, miſſis Fidei Præconibus, qui veritatis lucem Regno illi poſtliminio redderent. *Quanta Ducis Pietas.*

Ad nos quod attinet, æterno ſibi nexu devinctos habet, quod non modo ad tantum opus Societatem Anglicanam elegerit, ſed tantis ornavit encomiis, ut Collegium ſuum, *Confeſſorum & Martyrum Seminarium fore auguratus ſit.* Titulos illos arrogare non auſimus, donec in tot Innocentium causâ, qui hæreſeos furori victimæ ceciderunt, aliquid pronuntiet Romana Sedes. Interea nunquam defuturos confidimus, qui Chriſtiano animi robore contumelias, carceres, & inediam perferant, ipſumque, quem in Collegio Anglo-Bavarico hauſerunt, ſanguinem, Fidei causâ, ſponte profundant. Ad hoc certè non modò ipſius certaminis gloriâ & mercede excitamur, ſed Sereniſſimi Fundatoris etiam de nobis ſpe *PP. Angli Maximiliano ſummoperè obſtricti.*

Digitized by Google

& expectatione, quaſi ſubditis ſtimulis perurgemur. Neque deſtitit Princeps, in Dei causâ periculorum contemptor, nobis per epiſtolas Chriſtianam fortitudinem inſpirare, nunc ſuggerendo, *eos qui in diſcrimine verſantur, ut palmæ propiores, cæteris exemplo præituros*; nunc de Rectore poſt diuturnam captivitatem ad Collegium regendum adhibito, quaſi vaticinando, *quod poſt tantam experientiam, alios in ſuo Seminario ad ſimilia pericula paraturus ſit.* Quæ monita animo planè paterno data, filiali à noſtris affectu excepta, & alto pectore repoſita ſunt.

Per literas gratias agit Provincia tota.

Vicem tantæ Munificentiæ Religioſa Provincia aliter rependere non potuit, quàm grati animi, ex intimo cordis ſenſu, teſtificatione, piiſque ad Deum votis ac precibus. Cui officio ut ſatisfieret, privatâ Epiſtolâ, Collegii nomine, grates refert P. Odoënus Shellæus: & Provincia tota, biennio poſt, congregata, publicis litteris beneficii magnitudinem agnoſcit, prędicatque. Suas etiam eodem argumento litteras adjungit P. Mutius Vitelleſchus Societatis univerſæ Præpoſitus Generalis. Hoc grati animi teſtimonium, ut à ſe minimè expectatum, ita gratum fuiſſe reſcripſit MAXIMILIANUS. Perrexitque Pius Princeps, paterno quoad vixit Societatem affectu proſequi, novis ſubindè benignitatis indiciis eundem teſtificando.

Hypothecam aſsignat Sereniſſimus Fũdator ſuo et ſecunda Conjugis nomine.

Decimo certè poſt ſtabilitam Fundationem anno, novum Diploma condidit, quo, ut Collegii ſui ſecuritati proſpiceret, *Baronatus duos Mindelheimenſem, & Haidenhaimenſem, ſuo ære coëmptos, & Bavariæ Ducatui necdum addictos, ſpecialis hypothecæ nomine* oppignoravit. Cavere hoc pacto voluit Collegio ſuo, *ut ſi fortè Camera Monacenſis moram in ſolutione traheret, indè reditus perciperet, donec vel in paratâ pecuniâ, vel bonis immobilibus planè illi eſſet ſatisfactum.* Hac etiam occaſione *Sereniſsimam* MARIAM ANNAM *Auſtriacam Conjugem ſuam ſibi in ſortem, & merita Fundationis adjunxit* : & *collaudatâ Patrum virtute, quam decennii ſpatio perſpectam habuerat, ſperat eorum, in tam ſalutari opere,*

perſeverantiâ

perſeverantiâ futurum, ut Deus Familiam ſuam, & Poſteros tueatur, & verâ fide, pietate, & civili gubernatione felices efficiat. Dedit has Litteras primo Martii, Anno milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo ſexto. Et licet reliquâ ferè vitâ continuis bellis diſtineretur, Collegio ſuo ſemper proſpexit, atque piam vitam grandi jam ætate, felici morte concludens, quam à Majoribus accepit, hæreditariam in Exules pietatem, Filio FERDINANDO MARIÆ, & Nepoti MAXIMILIANO EMMANUELI, cum Provinciis tranſmiſit. Certè conſtantem eorum benevolentiam uſque adeò experti ſumus, ut natos in Angliæ bonum Heroas Bavaros fateri neceſſe ſit. Speramus futurum aliquandò tempus, quo Anglia aperiat oculos, piumque in ſe Principum animum agnoſcat, & veneretur. *Moriens hæreditariam in nos pietatē reliquit Filio ac Nepoti.*

Neque ſolùm Sereniſſima illa Familia, quâ datâ occaſione in Bavariâ ipsâ, ſed hîc etiam Leodii nos ſuâ authoritate protegere, & gratiâ fovere nunquam intermittit. FERDINANDI Electoris Colonienſis benignitate admiſſi Exules, compoſitæ lites, extructum & penè dotatum eſt Collegium: MAXIMILIANI HENRICI gratiâ ſtamus; ejuſque authoritate, conſtanti Civium benevolentiâ fruimur. Utrique debemus quod vectigalium omnium onere, non interruptâ conceſſione, exempti, ſpecialibus privilegiis ad Ordines ſuſcipiendos, & Sacramenta adminiſtranda perfruimur. *Principum Colonienſiū in nos benignitas.*

Tot beneficiis cùm Sereniſſimis Bavariæ Principibus devincti ſimus, muneris noſtri ratio exigit, ut Divinum Numen continuis precibus interpellemus, ut non modò Fundatorum vitâ functorum piis Manibus requiem & gloriam æternam largiatur, ſed Succeſſores ſuperſtites ſuâ manu protegat, perpetuâ Domi pace confirmet, ac ſi quando Hæreticos aut Infideles bello laceſſant, victoriis nobilitet, atque opimis ſpoliis onuſtos in Patriam revehat. Et quia non ſe ſolos, ſuaſque Conjuges ac Poſteros, ſed etiam ſibi ſubditas Provincias orationibus noſtris commendatas *Patrum pro Domo Bavaricâ, & Provinciis illi ſubditis vota & preces.*

Digitized by Google

voluêre Sereniſſimi Fundatores , illis etiam rerum temporalium proſperum curſum, diuturnum ac felix ſub Principibus Bavaris Regimen, perpetuam in *Orthodoxâ Religione conſtantiam* (quæ MAXIMILIANO præ cæteris omnibus cordi fuit,) *& quæ eâ nititur*, *veram pietatem*, à Deo infimis precibus flagitabimus, ut verum ſemper ſit, eâ in parte *nulli Provinciæ cedere Bavariam.*

Patrum Monacenſium in exules benevolentia.

Finem huic Commentario imponere nefas eſſet, priuſquam debitæ, cum gratiarum actione, laudes RR. Patribus Collegii Monacenſis perſolutæ ſint. Tantâ enim induſtriâ ad pium hoc Opus incubuerunt P. Joannes Buſlidius, & P. Adamus Contzen, quos Sereniſſimus Fundator ad ſacras Confeſſiones adhibebat, ut majorem ad ſua negotia afferre non potuerint. Ad obligationis cumulum & aliud acceſſit. Nam RR. Patres Germani, dum in Collegiis à Ducibus Bavariæ fundatis divinæ gloriæ & proximi ſaluti ſedulò ſtuduerunt, ſi Collegii Leodienſis dotandi cogitationem Sereniſſimo Fundatori non injecerint : certè ad nullas Diplomati conditiones inſerendas omninò Pium Ducem permoverunt. Dum enim ſagaciſſimo oculo omnia eorum dicta factaque perluſtraret probaretque MAXIMILIANUS, perſuaſum habuit PP. Anglos, eorum veſtigiis, longo licet intervallo, inhæſuros.

Idem in Exules amor in eorum Poſteris etiamnum perſeverat, qui hujus Collegii negotia tantâ ſedulitate procurant, ut neque locorum ſpatia, neque alio in orbe natos homines prætexant, quo rerum noſtrarum oneri humeros ſubducant : ſed Principum ſuorum exemplum imitati, *nullum charitati ſuæ extraneum cenſeant.*

Quæ

Digitized by Google

Quæ Virtutes, ut Sereniſſimi Fundatoris intentioni ſatisfieret, à Majoribus noſtris excultæ?

CUM nihil æquè ad omne virtutis decus homines impellat, ac monita & exempla paterna, quibus tum ſignatur via quæ tenenda eſt, tum ad eam ineundam ſuavibus illecebris rapiuntur; mirum non videbitur, quos in hoc Collegio nutrit Bavariæ Dux, ad omnem virtutem incitari, *cùm animo planè paterno*, ſalubribus eos monitis inſtruxerit, ſuoque ipſis exemplo præiverit Sereniſſimus Fundator MAXIMILIANUS: In fovendâ Societate JESU *Proavi, Avi, ac Patris ſui affectum imitatus, Clientibus ſuis* SS. IGNATII, XAVERII, *& aliorum Sanctorum & Doctorum Virorum* exempla ſequenda proponit; ideò *nullas* in Diplomate ſuo *conditiones apponens, quod perſuaſum ipſi eſſet omnes ſecundùm Inſtituti ſui rationem, & Majorum exempla in virtutis & Sapientiæ ſtudia incubituros.* Formare nempè noſtros voluit Pius Princeps ad normam vitæ Apoſtolicæ (qualem Sanctorum noſtrorum vitæ, ipſumque Societatis Inſtitutum exhibet) ut in

Maximiliani Ducis piis monitis & exemplis

ad omnẽ virtutem excitati Patres.

Digitized by Google

Angliam regreſſi, cum virtutis & doctrinæ apparatum ſecum afferrent, qui ad indicendum hæreſi bellum, aſſerendamque Catholicæ Fidei, cum Sanctitate morum conjunctam, veritatem neceſſarius eſſet. Quàm hac in parte deſudarit Majorum noſtrorum induſtria (res enim noſtro tempore geſtas non attingimus) paucis hìc dicendum, eæque præ cæteris perſtringendæ virtutes quæ uſu quotidiano ita ſe prodidêre, ut latere omninò non potuerint. Quo in tractatu, ſi nihil illuſtre, nihil quod Societatem magnopere commendet proponamus, haud ægrè nos paſſuros fatemur, ut hoc Religioſæ Juventutis Seminarium, quod, ſi Fundationis tempus ſpectes, inter ultima eſt, virtutibus & litterarum ſtudiis poſtremo loco habeatur.

Animus omni in Propinquos affectu expers.

Exigebat à ſuis præcipuè Sanctus Patens noſter IGNATIUS *animum omni in Propinquos affectu expertem, & generoſo rerum caducarum contemptu imbutum.* Quæ virtutes cum non niſi laborioſo certamine à pleriſque aliis acquirantur, noſtris, qui vel mediocrem in animæ culturâ operam poſuerunt, mirâ felicitate, vel felici potiùs neceſsitate familiares ſemper fuêre: ut quibus ab ipsâ propè infantiâ pro fide exulibus, omne cum Patriâ, parentibus, propinquis interciſum eſſet commercium. Hinc fiebat ut amori qui in ſanguine junctos, cuique à naturâ inſitus eſt, paulatim langueſcenti purior in eos amor ſuccederet, quo cunctos in Deo complecterentur.

Mundi contemptus.

Ex eadem radice etiam alius fructus pullulavit, *Mundi* ſcilicet *ex ignoratione contemptus*. Cùm enim in pueritiâ aut ipsâ penè infantiâ, patrio ſolo pulſi, Audomarum ſe conferrent, Seminarii ſeptis incluſi, nullâ Nobilitatis aut divitiarum habitâ ratione, communi omnes victu & veſtitu uterentur; ita virtuti & litteris operam dederunt, ac ſi extra domeſticos parietes aliud nihil ageretur; neque aliis humana ingenia negotiis diſtinerentur. Felix ſanè, ex miſeria exilii, neceſsitas: nec illi impar, quam in antiquis Angliæ Sanctis prædicant Annalium noſtrorum Scriptores, quâ complures

Digitized by Google

etiam Regii Sanguinis Principes in Monaſteriis à tenerâ ætate educati, mundi vanitates *neſciſſe* potiùs quàm *contempſiſſe*, perhibentur.

His ſubnecto *Obedientiam* quâ Sanctus Parens Noſter ſuos, *Obedientia.* quaſi notâ characteriſticâ, ab aliis diſtingui deſiderabat. Huic etiam non difficulter aſſueverunt noſtri, non ſuâ voluntate, ſed aliorum nutu duci, etiam à teneris edocti. Adultiores facti Obedientiam ita excoluerunt, ut non tantùm expreſsis Superiorum placitis, ſed minimo voluntatis ſigno obtemperarent. Voces medias & cœptum ſermonem abrumpere tam ſolenne illis fuit, ut primo campanulæ tinnitu, octoginta & ampliùs linguis, per conſuetam à menſa relaxationem, ſolutis, imponi ſubitò ſilentium cerneres. Quouſque hæc Obedientiæ ſemina excreverint, ex iis liquet quos in Angliam Majores noſtri evocandos cenſuêre. Illi certè maxima ex parte ad munia omnia animos attulêre planè indifferentes; & ſive in Nobilium Palatiis, ſive in pauperum tuguriis vitam eſſent acturi, id præcipuè cordi haberent, ut in majus Dei obſequium, & animarum ſalutem incumberent.

Ut in Religioſo cœtu membra capiti ſubjicit Obedientia, ita *Fraterna Charitas.* mutuo inter ſe vinculo connectit *Charitas*. Quæ quanto hic in pretio olim fuerit, vel ipſi teſtantur adverſarii. Eorum certè quidam, nec vulgari inter eos notâ, haud alium (ut ipſi viſum eſt) in benè conſtituto corpore nævum reperit, quàm quod ſemper idem vellent noſtri, idem omnes ſentirent. Singulari ſanè Divinæ Clementiæ beneficio eveniſſe fatendum eſt, ita hujus virtutis ſtudium viguiſſe, ut inter fervidæ indolis & diverſi ingenii Juvenes, nec verbulum Charitati diſſonum variis annis auditum aliquando fuerit. Quod ſi aliàs quiſpiam vel ardore diſputandi, vel verbo malè intellecto, læſum ſe judicans, nimium incaleſceret, ubi primùm calor ille reſediſſet, veniam poſcere, & ſe pro merito plecti deſiderabat.

Charitas in proximos. Neque ita privatæ Charitati intenti erant, ut deſiderari à ſe

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

paterentur ea munia quæ ad proximorum bonum obire ſolet Societas. Proviſum enim ſemper à Superioribus eſt, ut idonei in Collegio eſſent, qui, ſuperatis patrii idiomatis difficultatibus, *præberent aures confitentibus, moribundis aſſiſterent, & accurrentes ſpiritualibus exercitationibus excolerent.* Ad Sacram Exhomologeſim tum ex omni Civium ordine, tum præcipuè è Ruſticis & Peregrinis magna diebus Feſtis confluxit multitudo. Inter hos varii ex locis longè diſſitis Leodium delati, audito Collegii Anglicani nomine, eò ſe properè contulêre, ad ſui non dubiam ædificationem & tranquillitatem futuram.

Neque intra domeſticos parietes concluſa eſt indefeſſa Patrum Charitas. Nulla ulcerum fœditas à Noſocomiis, nullus fœtor à pauperum tuguriis eos potuit deterrere, quo minùs, etiam graſſante per Urbem lue contagioſâ, derelictis opem promiſcuè afferrent, & extremam ad luctam præpararent.

Non eſt paſſa Divina Bonitas hos noſtrorum labores ſperato fructu carere. Complures à noſtro commercio in viros planè novos mutati; ſopitæ graves inimicitiæ; pax integris familiis reſtituta. Omittendum non eſt piis monitis inſtructum fuiſſe nonneminem, cui poſt animæ expiationem, ſuaſum à Conſcientiæ Moderatore fuit, ut *D. Thomâ Cantuarienſi*, magno ſui ſæculi Thaumaturgo (qui præcipuâ apud nos veneratione colitur) invocato, corporis quoque ſanitatem poſceret. Paruit æger, ac ſe derepentè graviſſimo morbo liberum ſenſit, & ſimul juſſit hoc in tabulas referri, ſuo tempore typis vulgandum, ut debitæ *Deo laudes*, & *Sancto gratiarum actiones* redderentur.

Zelus in ſpiritualibus exercitiis tradidis.

Ad *Exercitia Spiritualia* quod attinet, iis varii exculti, ac præſertim Pagorum circumjacentium Parochi; ſex quandoque aut ſeptem in anno: fructu non pœnitendo. Nam poſt ſubductas vitæ anteactæ rationes, horaſque multas in meditandâ Chriſti vitâ ſtudioſè impenſas, eam pietatis flammam concepêre nonnulli, ut ad ſuos reduces, ſtupentibus quandoque, nunquam non lætantibus

Parochianis non abſimilem ardorem inſpirarint. Poſt operam in Eccleſiaſticis utiliter poſitam, fructum ab aliis decerptum, quia minùs expectatum, ideò fortè jucundiorem, ſubnecto. Hiſpanus quidam Nobilitate & Officio militari inſignis, cùm dies aliquot in ſacris illis Exercitationibus poſuiſſet, ac Chriſti ſupremi Regis humilitatem attentiùs conſideraſſet: adeò faſtum omnem depoſuit ut inter domeſticos Collegii famulos cooptari deſiderarit. Renuit Rector; ſed tandem piâ hominis importunitate victus, manus dedit. Quare Vir Nobilis, non minore noſtrorum admiratione, quàm raro demiſſi animi exemplo, perſonam & habitum mentitus, bimeſtri ſpatio abjectiſsima quæque famulorum munia, communi cum iis victu & habitatione contentus, obivit. Aliud in alio genere, ſed fortè non minùs illuſtre eſt. Agricola, cùm mira de Exercitiis Spiritualibus inaudiſſet, an ruſtici etiam admitterentur, interrogavit. Patres, re auditâ, hominem peramicè invitatum toto octiduo excoluêre, & quidem utiliore labore, quàm ille agriculturam unquam exercuiſſet. Domum enim reverſus, ſe rerum ſpiritualium peritum, ac magno pietatis ſenſu præditum ſemper exhibuit. Uſque adeò Regno Dei nulla inepta conditio, ſed etiamnum *ſurgunt indocti, & Cælum rapiunt*, habetque ætas noſtra ISIDOROS ſuos.

Neque ſegniores erant Patres in hominibus ab hæreticâ pravitate, quâ datâ occaſione, revocandis. Interdum duodecim, aut quindecim, quos Divina huc duxerit Providentia, Peregrini Angli in Eccleſiæ gremium uno anno recepti ſunt. Neque his contenti ad vicina præſidia excurſiones inſtitutæ, ut Anglis etiam militibus illic commorantibus opem ferrent, quà Catholicos Sacramentis roborando, quà Heterodoxos ad agnitionem veritatis ſuaviter impellendo. Quod ſi neque argumentorum pondere, ut eſt obſtinata hæreſis, neque Charitatis officiis, ad deliniendos eorum animos accommodatis, moverentur; tunc demùm ad ſpontaneas pœnas, & preces, pro animabus præſertim in Purgatorio detentis, recurrere, *In Hæreticis convertendis.*

Digitized by Google

Patribus mos erat. Grata hæc Deo fuiſſe probavit eventus; cùm perſæpè vix dum peractâ re Divinâ, ſpontè ſe obtulerint in Eccleſiæ gremium recipiendos, de quorum antea ſalute conclamatum penè fuerat.

In rudibus catechizãdis & exhortãdis. Dum hæc à Sacerdotibus gererentur, minimè otioſi erant Scholaſtici in ſalute animarum procurandâ. Sufficientem enim linguæ Gallicæ peritiam nacti, ad vicinos pagos deni aut duodeni, cum adjunctis ſibi ſociis, Dominicis ac Feſtis excurrere ſolebant, ut modò Fidei elementa pueris traderent, modò piâ exhortatione populum excitarent ad fugam peccati, & cætera Chriſtiani hominis officia. Quâ in re adeò quorundam fervor exarſit, ut quater aut quinies in die pro Concione dixerint; pio quaſi certamine inter Catechiſtæ induſtriam, & concurrentis populi ardorem inſtituto. Longum foret recenſere quot hac ratione à peccandi conſuetudine ad ſeriam pœnitentiam novumque vitæ inſtitutum revocati ſint. Id unum referam, dum in quodam pago, Concionator in profanam temerè jurandi licentiam acriùs fuiſſet invectus, adeò impiam conſuetudinem deteſtati ſunt ruſtici, ut, quaſi pacto inito, cùm vel inter pocula, vel ex ſubitâ iracundiâ in conſueta juramenta erumperent, ſe invicem admonerent, cohiberentque: *laudabili ſanè mutuæ charitatis exemplo*, quo factum eſt, ut corruptela illa toto ferè pago exularet.

Humilitas. His de Charitate dictis, ad *Humilitatem* tranſeo, quæ virtutum omnium baſis eſt, & fundamentum. Hæc ut ſit omnibus neceſſaria, iis tamen eſt vel maximè, quibus ex inſtituti ſui ratione per infamiam ac bonam famam cum hæreticâ ſuperbiâ dimicandum. Certè ex Bavarico Gymnaſio in arenam Anglicanam deſcendit nemo, quem multas in humilitatis palæſtrâ palmas tuliſſe non ſperarent Superiores. Gravioribus certaminibus, leviori hîc velitatione proludebant, dum mirâ inter ſe alacritate contenderent purgandis lancibus, verrendis cubiculis, aliiſque humilitatis Officiis. idque non tam ex Superiorum præſcripto (qui ſinunt iſta ſæpiùs quàm

imperant)

Digitized by Google

imperant) ſed piâ quadam importunitate, ut abjectiora quæque munia vel ſibi imponerentur, vel aliis impoſita transferrentur in ſe. Pauperibus miniſtrandi tam ardens olim deſiderium tenuit Scholares noſtros, ut id munus ſtudioſè plures ambiverint, factâque poteſtate, cibos ſibi ſubſtractos, ſuisque manibus denuò accommodatos egenis porrigere in deliciis habuerint. His adde publicarum pœnitentiarum uſum tam frequentem, ut P. Alexander Gottefredus, Provinciæ olim Viſitator, ac univerſæ poſtea Societatis Præpoſitus Generalis, illum magnoperè laudarit, ut qui pro ſuâ prudentiâ noſſet, baſim vitæ Religioſæ eſſe humilitatem, neque illam meliùs quàm uſu & exercitatione acquiri.

Humilitatis Filia, occultarumque virtutum index eſt *Modeſtia*, quæ internam animi pacem, externâ morum compoſitione ad vivum exprimit. Hâc virtute, ceu virtutum omnium ornamento, ut reliqui è Societate, ita Bavariæ Ducis Clientes, adeò olim conſpicui fuêre, ut plurimos non tantùm rapuerint in admirationem, ſed ad vitæ etiam noſtræ æmulationem traxerint. Nec rarò contigit in Angliam regreſſos, licet alieno laterent habitu, ſuâ ſe modeſtiâ, & Religioſâ morum compoſitione prodidiſſe: Tam ſtudioſè ſcilicet in Collegio mores ſuos ad Modeſtiæ normam finxerant, ut eam (exigente ita tempore) nec tantiſper diſſimulare noſſent. Quid illos memorem, qui dum Leodii verſarentur, patrii ſermonis nondum gnari, quemadmodum de Sancto Franciſco Aſſiſinate legitur, cùm verbis non poſſent, modeſtiâ & morum gravitate fructuosè prædicarunt? Cùm aliquoties noſtri, urgente Magiſtratu, unà cum cæteris Familiis Religioſis in Supplicatione (quæ quotannis Feſto S. Lamberti inſtituitur) per Urbis plateas bini incederent, ſpectaculi novitate delectati (quod Civium benevolentiæ maximè tribuendum judico) factam publico injuriam dixerunt, tot viva virtutis ſimulachra eorum oculis tamdiu ſubducendo. Primarius è Clero Vir, ubi Litaniis ſolennioribus in Templo noſtro interfuiſſet, diſcedens Amico in aurem inſuſurravit.

Modeſtia.

Digitized by Google

O quales Religioſos facit Societas! Ego enim omnes attentis perluſtrans oculis, neminem qui ab Altari oculos deflecteret, animadverti. Alius in triclinio acceptus prandio, adeò caſtigatiſſimâ oculorum cuſtodiâ obſtupuit, ut integri diei itinere, ſi alias non licuiſset, id genus ſpectaculi libenter ſe empturum diceret. Ex quibus facilis erit conjectura, quales in legum majoris momenti obſervatione fuerint, qui ſe tam religiosè in minimis fideles exhibuerunt. Et quia de minimis eſt ſermo, proditum eſt P. Provincialem cùm olim Collegium viſitaſſet, & poſt accuratam omnium inſpectionem, quid emendandum maximè eſſet, ediceret, id tanquam capitale ſuggeſsiſſe, nonnullos à menſâ cultellos non ſatis decenter abſtergere: ut mirum non ſit abeuntem dixiſſe, neſcire ſe quibus verbis deſideratiſsimum hujus Collegii ſtatum P. Generali exponeret.

Oratio prolixior

De *prolixioris Orationis* & *ſeverioris vitæ ſtudio*, id dixiſſe ſufficerit, adeò complures illius exarſiſſe deſiderio, ut cohiberi fræno, non calcaribus incitari debuerint. Hi enim præter conſuetum orandi penſum (quod Studioſorum viribus attemperavit S. Parens noſter IGNATIUS) varias per diem aut hebdomadam horas Sacris Precibus attribuerunt. Illi diurnâ precatione minimè contenti, nocturnam etiam adjecerunt, ut Chriſtum, qui *erat pernoctans in oratione Dei*, quàm proximè imitarentur. Alii demùm ut ſanctum illud Exercitium ſibi familiarius redderent, Deum ſemper præſentem menti exhibere, illius in ſingulis rebus voluntatem exquirere, ad eamque vel minimas actiones dirigere connisi ſunt. Horis ſingulis mentem ad Deum elevare, conſcientiam excutere, aut poſt vitam ſanctè tranſactam, piam mortem poſtulare, tam ſolenne erat pleriſque, ut in conſuetudinem abierit.

Mortificatio.

His ſtimulis ad veram Mortificationem uſque adeò incitati fuêre complures (mens enim Deo & cœlo affixa, corporis effrænes impetus cohiberi deſiderat) ut vel cibi parſimoniâ, vel inflictâ ſenſibus pœnâ, aliiſvè domandi corporis artibus ſibi mortem

acceleraſſent, niſi modum ſtatuiſſet prudentia Superiorum. Et verò licet ii ſubditorum ſaluti perpetuò invigilarent, nonnullorum ardorem temperare uſque adeò non potuerunt, quin ſpontaneâ ſui maceratione valetudinem ita afflixerint, ut ſolum vertere coacti fuerint, donec novæ ad reſtauranda ſtudia vires ſufficerentur.

Hic in ſe ſæviendi ardor, cogitationes nonnullis ſublimiores injecit, quod ſpontaneo cruciatu edocti, quantæ felicitatis eſſet pro Chriſto pati non penitùs ignorarent, ad rimandas ulteriùs Chriſtianæ Patientiæ delicias, complures omne lectitandi, meditandique ſtudium dirigebant, quo ſæpè factum, ut perpenſis Chriſti, Sanctorumque cruciatibus, generoſo animi impetu ad ardua quæque ſe offerrent.. Novus ardor à colloquiis familiaribus frequenter acceſſit, quibus tum invidendam Martyrum ſortem, tum ſua ſimilia patiendi deſideria, ad ſe invicem incitandos, ſine jactantia exponebant. Quoties inter eos auditum, dum Martyrum geſta recenſerent, *felices eſſe quibus ſua fortuna jam peracta eſſet › Chriſtum qui certantibus adfuit, ſibi in occaſionibus non defuturum: ut oculo corporis longè diſſita minora apparent, ita è contra mortem, & quæ eam comitari ſolent, dum abſunt majora & graviora mentis oculo exhiberi, cùm præſentia fuerint, ut parva contemni?* Accedit & aliud patiendi incitamentum, à noſtrorum Patrum, qui hæreticorum furori victimæ ceciderunt, imaginibus (quæ majorem Collegii aulam dudum impleverunt) quibuſque tum hominum noti vultus, tum horrendi cruciatûs inſtrumenta repræſentantur. His enimverò tantùm abfuit ut perterrerentur noſtri, ut indè potiùs ad fortiora agendum, & patiendum incitarentur. Hinc ſi qua in Anglia exoriretur perſecutio, non aliorum qui in certamine verſabantur, fortunâ ingemiſcere, ſed eorum conſtantiâ commendatâ, ſe periculo ſubductos, & quaſi ad ſarcinas relictos dolere piè ſolebant.

Patiendi deſiderium.

His, Sereniſſime Princeps, Majores noſtri virtutum exemplis, poſteris ſuis præluxerunt. Si nos, qui eorum locum invaſimus

Digitized by Google

eorum veſtigiis minùs gnaviter inſiſtamus, ſegnes torpentesque excitabit virtus Tua, quæ ut aliis Chriſtiani Principis officiis Te tuis amabilem, ita heroïcâ fortitudine Romanæ Eccleſiæ & Imperii hoſtibus formidabilem reddidit. Privatam virtutem colere, & neceſſario ad Sacrum contra Hæreticos Bellum apparatu nos inſtruere, Tuo exemplo diſcemus, & præeuntem Te alacres ſubſequemur.

Digitized by Google



In quæ Scientiarum & Artium Studia incubuerint?

NUNC de Litterarum Studiis, quæ à nobis pariter requirit Sereniſsimus Fundator, paucis agendum. Triplicem, de more Societatis, Theologiam audiunt noſtri: Scholaſticam, Moralem, ac Polemicam. Illam juxta mentem D. Thomæ Profeſſores tradunt duo, & in rimandis Divinorum Myſteriorum ſecretis quadriennium impendunt. Has ſinguli tractant Profeſſores, vel perplexos Conſcientiæ caſus explicando, vel Catholicæ Fidei placita contra hæreticos aſſerendo tuendoque. His accedit Sacræ Scripturæ Interpres, qui Sacros Codices ordine percurrens, in ſolvendis locorum difficiliorum nodis verſatur. Cùm verò ad debellandam hæreſim ſtudia noſtra maximè dirigantur; Profeſſoribus omnibus ex æquo incumbit, datâ occaſione, heterodoxorum errores refellere, ac Fidei noſtræ Myſteria contra falſitatis Patronos ſtabilire. Neque exiguus vel ex privato ſtudio, vel ex familiari cum Sodalibus diſcurſu, fructus colligitur, dum modos arteſque practicas excogitant, quibus doctos æquè ac indoctos in veritatis agnitionem inducant. Quæ methodi, cùm omnibus ingeniis accommodentur, magno fuêre uſui, ad complures, ut

Theologia.

Sacra Scriptura.

experientiâ didicimus, in Eccleſiæ gremium reducendos.

Linguæ Sacræ. Quo faciliùs autem omnibus Hæreticorum fraudibus maturè occurratur, quibus, avium inſtar, mos eſt nullo in loco diu conſiſtere, & quod in Latino tot jam per ſæcula recepto textu, aut in propriis ipſorum Bibliis non inveniunt, in reconditiorum linguarum latebris aſylum quærere, nunc Græcos, Hebraïcoſque Codices, nùnc Syriacam, Chaldaïcam, & Arabicam verſiònem in cauſæ deſperatæ patrocinium advocando; duplex apud nos Linguarum, ad Theologiam Polemicam maximè conferentium, lectio inſtituta eſt, ac etiamnum viget; altera Hebraïcæ quotidiana; Græcæ altera, ſed minùs frequens, quippè quæ non tam acquirendæ, quàm retinendæ iſtius linguæ notitiæ à plerisque noſtrûm in Scholis minoribus ultra mediocritatem acquiſitæ, deſtinatur. His nonnulli ex privatâ induſtriâ non vulgarem adjecêre peritiam aliarum linguarum Orientalium, earum præſertim quæ reperiuntur in Bibliis Polyglottis; ut ſic promptiùs argumentis Hæreticorum indè petitis obviam iremus, nec auſint iterùm Miniſtelli (quod cum ſummo ſuo pudore & dedecore aliquando facere aggreſſi ſunt) Verſus nobis Homerianos inter diſputandum pro Sacro Textu obtrudere.

Philoſophia. In tradendâ Philoſophiâ, non modò Sholæ Peripateticæ dogmata per triennium, terni explicant Profeſſores, ſed in rimandis etiam per experimenta naturæ arcanis ſeduli ſunt plerique, ut omni ſcientiæ genere inſtituantur noſtri, quod in Angliâ præſertim habetur in pretio. Ad hoc ſuam etiam operam confert Matheſeos Profeſſor, quæ ſcientia etiam apud noſtrates maximè colitur. Hic ab Arithmeticâ & Geometriâ ducto initio, ad Mechanices Staticeſque arcana, motuum leges ac potentiarum augendarum

Mathematica Diſciplina. rationes contemplandas progreditur. Perſpectivam deindè & Opticam tractat: & præmiſsâ utriuſque Globi notitiâ, ad Cœli, Syderumque varios motus & phaſes conſiderandas aſcendit. Ecclipſium ac Cometarum hypotheſes propria plerumque, eâque

Digitized by Google

multiplici experientiâ ſtabilitas illuſtrat, ac quicquid Aſtronomiæ limitibus continetur, complectitur. Neque deſuêre aliquando qui his tractatibus, Algebram, methodum indiviſibilium, & recondita quæque ex Conicis Apollonii Pergæi, & recentiorum inventis deprompta, adjicerent. Id univerſim dixiſſe ſufficiat, nil à *Societate Regiâ*, quam CAROLUS II. Londini erexit, ingenioſius inventum, ſivè Phyſicam, aut Mathematicam ſpectet, quin id arripuerint noſtri, atque perpoliverint: quo factum ut ſcirent neceſſaria, curioſa non neſcirent.

Famulantur hæ artes diſciplinis ſacratioribus, iiſque perſæpè data noſtris occaſio ulteriùs ſe inſinuandi in Doctorum hominum familiaritatem: Et cùm de naturæ arcanis differentibus aurem præbuiſſent, de Fide, rebuſque ſalutem animæ ſpectantibus, nec illibenter, nec inutiliter loquentes audierúnt.

Digitized by Google

Nonnullorum Leodii piè morientium Elogia.

Viri pii omni ſtudio virtutem celant.

FASTUM animi alioquin generoſi labem, vera virtus averſatur; & quò meretur magis in omnium oculos incurrere, eò diligentiùs in latebras ſe abdit. Uno Deo teſte vivere, ſola voluptas humilis *Franciſci*, & cum eo, omnium, qui genuinam ſectantur ſanctitatem. Hinc Viris piis tot ſimulandi artes, tot interna animi bona occultandi viæ: ut non magis adipiſcendæ, quàm celandæ virtutis deſiderium præ ſe ferant. Ex Alumnis tuis, Sereniſsime Princeps, his artibus latuiſſe complures extra dubium eſt. His abſtinentiam in ſtomachi debilitatem, illis ſecreto in conclavi orandi ſtudium, in fugientem conſortii moroſitatem rejicientibus, aliiſque cauſas alias prætexentibus, ut puriùs ſoli Deo mentis corporiſque obſequium deferrent. Aliquorum abſcondi virtus non potuit, è quibus, paucos tantùm ſubjiciemus: Si enim omnium, qui Tuâ, Majorumque Tuorum benevolentiâ hic uſi ſunt, res piè geſtas, mortemque pari laude obitam deſcribendam ſuſciperemus, FLORUS ANGLO-BAVARICUS in Provinciæ omnis hiſtoriam excreſceret. Id quoque præ cæteris curæ nobis fuit, ut ex omni claſſe ſeligerentur nonnulli, ne dum hi abundarent domeſticis pietatis exemplis, iis ſe alii omninò deſtitutos quererentur.

Quorum hic elogia?

In

Digitized by Google

In P. Thomâ Sotovello lis amabilis doctrinam inter & virtutem inſtitui videbatur. Ab ejus ore, tum prudentiâ tum litteris Primarii Civitatis Viri, unicè pendebant: illius tamen ingenii profunditatem ita mirabantur, ut emicantem ex omni vitâ modeſtiam ampliori præconio efferrent. Certè primæ Vir Nobilitatis tantam ſcientiæ lucem, tam rarâ conjunctam cum humilitate in alio nemine conſpexiſſe ſe dixit. Cùm omnibus regendis par eſſet, vel minimo Superioris nutu quocunque flectebatur. Angelicam mentis corporisque puritatem ſevero Religioſæ Paupertatis cultu ornabat. Silentii ac diſciplinæ obſervantiſſimus, religioſiſſimo cuique quotidiana dabat virtutum penè omnium exempla. Quo porrò ſtudio obiret, quæ divinum cultum proximè ſpectarent, ex eo liquet, quod Horarum Canonicarum penſum è genibus ſemper perſolveret: Miſſæ verò Sacrificium tam ſpectabili decoro perageret, ut ejus ſibi proponerent formam, qui eſſe cuperent exactiſſimi. Seu mente, ſeu voce oraret, adeò in Deo cogitationem defigebat omnem, ut rariſſimè ad alia divagaretur. Hinc Cœleſtium rerum ſenſus ſuaviſſimus, terrenarum ferè nullus. Ex hac Supremi Numinis tum reverentiâ, tum amore, flagrantiſsima in egenos, in ægros, in hoſpites charitas emanavit. Cùm bello Suecico ardebat Germania, exules indè Patres ac Theologos, ut miſſos Cœlo Angelos, tenerrimo affectu complectebatur, promovebat in ſtudiis, & meliorum expectatione temporum recreabat: Raras animi dotes licet modeſtiæ velo tegere niteretur, his tamen aliisque inſignem virtutibus ſuſpexère omnes, cum morbo, ex ſubitâ, dum ſacris operaretur, formidine corripitur. Tentant omnia Medici, quæ afflictam reſtaurare valetudinem ſolent, ſed fruſtrà. Ad mutandam itaque tantiſper auram Wattenas mittitur: ubi dum exemplo Tyronibus ad virtutem præit, ingraveſcente paulatim infirmitate, mortis quietiſsimæ exemplo, iiſdem oſtendit, ſuavem omnino eſſe Religioſæ vocationis fructum, cùm ejus guſtu mors ipſa dulceſceret. Obiit die 11. Octob. anno 1637.

P. Thomas Sotovellus.

E

Nobile par ſenum, quos eximia virtus ſimiles, & ſimilis miſeria, patientiæ & charitatis mutuæ ſocios fecit, Floro noſtro disjungere nefas eſſet. Separati laudem quiſque ſuam mereretur, conjuncti illuſtrius quiddam præ ſe ferre videntur, quod eximiam in omni vitâ virtutem P. Gulielmi Savilli, & P. Henrici Hollandi poſteritati commendet. Ex Angliâ uterque oriundus, vitam, abſolutis ſtudiis, maximâ ex parte in eâ piis laboribus excolendâ traduxerunt: egregiis ad illud munus, tum à naturâ tum à gratiâ, dotibus inſtructi. In Hollando *Columbæ ſimplicitas*, in Savillo etiam *Serpentis prudentia* eminuit. Uterque comis & affabilis adeò, ut ipſos etiam Heterodoxos ſibi devincirent. Hoc modo pluribus ad fidem traductis, pluribus in eâ roboratis, gratum Deo, & utile proximo, obſequium præſtiterunt. Sub annum hujus ſæculi quadrageſimum, Rebellibus Anglis crudeli bello Regem ſuum laceſſentibus, ſæviſſima, in Catholicos Regi ſemper fideliſſimos, coorta eſt tempeſtas. Hac ita jactatus uterque, ut vincula & mortem in dies penè ſingulos præſtolarentur. Savillus tamen, licet animum ad omnia promptum afferret, Dei nutu è maximis periculis ereptus, hoſtium manus evaſit. Captus ab Apparitoribus Hollandus carceri datus eſt, & mox in judicium vocatus, Sacerdotii ſolius causâ, capitis in ſe latam ſententiam lætus audivit, dolens non pertulit, mortis pœnâ exilio commutatâ. Cruce tamen, quam tantoperè amabat, non diu caruit. Accedente enim ad grandem viri ætatem, humidi carceris illuvie, *Auditum* penè amiſit: ac urgente exilii ſententiâ, ad Leodienſe Anglorum Collegium miſſus eſt. Sub idem tempus P. Gulielmus Savillus, quâ nimiâ legendi aſſiduitate, dum perſecutores fugiens lateret, quà nocturnorum, dum difficillimo tempore eum Charitas evocabat, itinerum incommodis, defluente in oculos noxio humore, *Viſum* ita perdidit, ut à nocte diem vix diſcerneret. Quare Leodium & ipſe miſſus eſt, ubi rerum ſpiritualium præfecturam variis annis geſsit. Hic ſanctum inter pios Senes certamen inſtitutum, quis alterum mutuæ

P. Gulielmus Savillus. & P. Hericus Hollandus.

Digitized by Google

charitatis officiis ſuperaret. Savillus, qui auditu pollebat, ad Religioſæ vitæ munia vel vocantis vel avocantis campanæ ſigna Hollando patefacere; hic viciſſim oculorum beneficio, ſi exeundum cubiculo eſſet, cœcum manu ducere, gradus difficiliores notare, & in hortum quandoque ad captandam auram ducere & reducere. Cùmque ſurdaſter omni ferè cum noſtris commercio privaretur, Savillus geſtu & nutu, ut eſt ingenioſa Charitas, cum eo agere, & dum ſiccior aura audiendi difficultatem minueret, de rebus piis familiariter tractare: Deo benignè diſponente, ut Savilli vocem præ cæteris omnibus diſtinctiùs audiret. Neque hac in parte cœco defuit Hollandus, quod perſæpè (ex quo plurimùm ſolatii capiebat Savillus) pium illi libellum prælegeret, ut perpetuæ noctis tædium levaret. Hoc pacto, varios annos, ſenſuum defectum ut patienter ferebat uterque, ita mutuâ operâ ſupplebant, cœco pro utroque audiente, & ſurdaſtro oculos amico benevolè commodante. Neque defuêre piis Senibus aliarum virtutum ornamenta. Savillus, cùm rerum Divinarum meditationi ferè totum ſe daret, plures quotidie horas, ſancto illi Exercitio impendebat. Reliquum diei vel piis monitis, Religioſos ad ſe accurrentes, inſtruendo, vel Sacræ Lectioni (pluribus ad hoc ei operam commodantibus) aurem præbendo, traduxit. Hollandus vocali Orationi præcipuè deditus, à manè ad veſperam, à ſe conſtitutum precum penſum perſolvebat, de hoc unicè queſtus, quod tempore careret, licet nullâ re aliâ diſtineretur. *Breviſſimi nimium piè occupatis ſunt dies; nihil, aut aliud agentibus longiſſimi.* Savillus, omnis, quod ex Deo non erat, ſolatii fugiens, Hollandus à mundi curis abductus, Paupertatis cultor tam eximius fuit, ut nec rem minimam ſine Superioris licentiâ ſuis uſibus adhiberet: Uterque demùm Religioſæ Diſciplinæ cuſtos erat tam accuratus, ut neque oculatiſsimus quiſque nævum in illis ullum conſpiceret: Mutuis hoc pacto charitatis officiis inſiſtentes, ac tum ſibi, tum aliis virtutis face prælucentes, mors ad tempus diremit. Dum

enim Savillus ſpiritualia exercitia Scholaſticis noſtris traderet, ſimulque ipſe obiret, eo pietatis ardore inflammatus eſt, ut is non modò vocis accentu ſe proderet, ſed ex oculis etiam, totoque vultu promicaret. Sed octiduo nondum elapſo, mentis corporiſque nimiâ contentione febrim contraxit, quæ conſumptis paulatim viribus, corpus tumulo, animam cœlo, uti confidimus, intulit die 6. Octobris, anno à partu Virginis 1654. P. Hollandus ſuo viduatus Achate, mediâ tantùm ſui parte vivere videbatur, licet non modò Collegii Rector, ſed Sodales omnes, opem ſolatiumque, quâ poſſent arte, optimo Seni impertirent. Hac occaſione vel maximè patuit, quo patiendi deſiderio teneretur. Diu ſe vivere dictitabat, quod indignus fuiſſet pro Chriſto mori, Nepotiſque ſui P. Thomæ Hollandi, qui ob fidem paſſus eſt, beatam ſortem, ſummâ animi teneritudine prædicabat. Tam piè diſpoſitum morbus corripuit, & ut pia utriuſque vita ſuadet, ſocio in cœleſti gaudio conjunxit 29. Februarii anno 1656.

P. Franciſcus Linus.

P. Franciſcus Linus mitiſſimo Vir ingenio nullique unquam offenſæ, vel dandæ, vel accipiendæ obnoxio, adeò mentis ſemper æquabilis conſtantiâ eminebat, vultuque ſemper eodem, nunquam ut alius à ſe viſus ſit. Ab arrepto Religioſæ vitæ inſtituto, ſe totum inviolabili Regularum manciparat obſervantiæ, adeò ut qui ſagaciſsimo oculo multis cum annis obſervarant, nec umbram leviſsimæ tranſgreſſionis cernerent. Obedientiæ ſtudium probat conſtans nihil præter conſuetudinem agendi voluntas, niſi expreſſa Superioris facultas accederet. Juxta factam à ſe hypotheſim, Solis defectum obſervaturus, Mathematico apparatu ſe inſtruxerat; cùm audito ad celebrandum Miſſæ Sacrificium vocantis campanæ ſono, ad Templum properè ſe contulit, ne tantillâ morâ obedientiam læderet. Dum ad Meditationem matutinam ſe accingeret, expeditiſsima, ut putabat, motûs perpetui peragendi ratio occurrit: ad manum erant neceſſaria, in promptu periculum; at quod ſanctum orandi Exercitium eâ horâ regula præſcriberet, inanem

Digitized by Google

ſpeculationem Obedientiæ poſtpoſuit. Dum Miniſtrum Leodii ageret, ut à Diſciplinæ Religioſæ ſanctitate, nec hilum deflectebat ipſe, ita ab aliis eam ſeverè exigebat, eo tamen ſemper temperamento, ut regularum obſervationem, morum ſuavitate, & optimo exemplo ſuaderet potiùs quàm extorqueret. Neque deſuêre qui dicerent, ſolam ejus ſine voce præſentiam, majorem diſciplinæ reverentiam incutere, quàm poſſet acrior aliorum reprehenſio. Si verò verbis opus eſſet, efficacibus illis quidem utebatur, ſed adeò omni felle vacuis, ut neminem non moverent. Si quando è loco ſuperiori ad noſtros diceret, veteris Eremi incolam dixiſſes: omni, ut corporis, ita verborum, cultu ſemoto, quàm quinquaginta annorum ſpatio moribus prædicârat, Obedientiam, & Regulæ obſervationem perpetuò inculcabat. Sorores geminas, Humilitatem & Paupertatem tenerrimè amabat. Vili veſtitu ſemper contentus, aliâ ad ſcribendum chartâ vix utebatur, quàm cujus altera facies, ſcripturâ, aut lituris inducta eſſet. Eâ autem erat animi demiſſione, ut ſe omnibus ſubmitteret, æqualibus paſſim, ſæpè etiam inferioribus ſe regendum permittens. Ad mortificationem quod attinet, quâ curâ ſenſus in officio contineret, vel indè patet, quod oculis non niſi ad legendum, ſcribendumvè uti videretur. Guſtui uſque adeò non blandiebatur, ut ciborum ſaporem quâ poſſet arte extingueret. Unicâ, ſine delectu, lance contentus, ſufficiens corpori alimentum vix dabat, quo vires adeò afflixit, ut vertere ſe in lecto tandem non poſſet, nedum indè exurgere, non tam ſenio quàm ſpontaneâ eſurie langueſcens. Ad mortem, ut nonnullorum eſt opinio, ante præcognitam, omni liber ſollicitudine, quaſi ad lectum feſſus properavit, & mentis ad extremum compos, Judicis dicam tribunal, an Sponſi thalamum intrepidâ fiduciâ præſtolatus eſt, Die 25. Novembr. anno 1675.

P. Thomæ Cornforthi vitæ ratio, & exantlati in Angliâ labores hîc breviter perſtringendi. Venerabili canitie Senem non abſimilis *P. Thomas Cornforthus.*

Digitized by Google

morum candor ornavit. Dum vineam Anglicanam difficillimo tempore excoleret, ut perſequentium manus evitaret, ſæpiùs arcâ includi debuit, ſæpiùs cum perſonâ veſtem mutare. Muneri tamen ſuo, tam ſedulò inſiſtebat, ut à conſtantiâ invictique animi firmitate, plurimùm commendetur. Rebus Divinis tenerrimo pietatis ſenſu inhærebat, iiſque adeò ſe totum addixerat, ut quid in Orbe fieret, qui regerent, quæ bella gererentur penitùs ignoraret. Niveam innocentiæ veſtem, quam à Sacro Fonte induerat, ad octogeſimum vitæ annum gravioris puram labis conſervavit. Hanc felicis æternitatis Arrham moriens ſecum tulit, anno hujus ſæculi 50. Maii menſis die 14.

Vitæ pientiſſimè actæ in memoratis Patribus ſub aſpectum dedimus exempla. In Scholaribus, ſi non diuturnioris vitæ ſingularia merita, at mortis certè non vulgaris ſpecimina, (ut ſua ſit narrationi varietas) in medium proferemus. Andreas ergo Wilſonus in Collegio hoc Philoſophiæ Candidatus, Audomari valetudinis recipiendæ ſpem cum certâ Immortalitatis fiduciâ commutavit. Qui hujus Viri heroïcam in doloribus tolerandis conſtantiam, profundum ſui contemptum, ſublimem in Deum fiduciam, & amorem ardentiſſimum, ejuſq; cum voluntate ſtrictam conſenſionem conſiderarit attentiùs, meritò dubitaverit quænam ex his virtutibus clariùs in eo effulſerit. Hiulcâ ad nuda propè oſſa undecim in locis carne, jacebat patientiæ victima, diu noctuque cygneâ voce ingeminans. *Auge Domine patientiam*, *auge dolorem.* Domine ſi vis in hâc Epiphorâ, in hâc tabe, & imbecillitate, in hâc febri me permanere, ad dies, ad menſes, ad annos, imò & annorum myriades, ſis benedictus, ſis benedictus, ſis benedictus. Erant hæc non exæſtuantis fervore orationis animæ, ſed in ipſo cruciatu verſantis verba, admiratione ſanè digniſſima. Ad vitæ longioris periodum duo invitabant, *Pati* & *Mereri.* Ad contractioris metam etiam duo, quod numero Deum offendentium unus, ut aiebat, detrahendus, & albo Deum collaudantium unus, ut

Andreas Wilſonus

fidebat, adjiciendus eſſet. Mortem non longè abeſſe admonitus, flagellis, cum ſuâ non poſſet, ut alienâ in ſe ſæviretur manu, ad ſacri Viatici apparatum, enixè poſtulabat. Petenti porrò vimineo humi ſtrato locari non eſt denegatum: quâ animi corporisque ſubmiſſione, ubi extremum Sacro Pane refectus fuiſſet inter ſuaviſſima JESU & MARIÆ nomina, placidiſsimè expiravit. Cruciatuum juvenis nunquam ſatur, in quorum complementum ut S. Catharinæ Senenſis Coronâ Spineâ cohoneſtaretur, à Deo ſuaviter poſtulabat. Voto quidem potitus non eſt, non minore tamen beneficio cumulatum haud immeritò dixerimus, cùm ut JESUM ſuum in latere vulneratum referret exactiùs, vehementiſsimum & ipſe in latere dolorem ſenſit. Hunc tanquam theſaurum, Medicos aliosque celabat, (conſcientiæ tamen Moderatorem excipio) ut ſacrificium quò occultius, eò gratius patienti Deo offerret. Quàm autem ſecum poſt mortem beatè ageretur, amiciſſimo ſibi, dum viveret, P. Odoardo Keynes Grammatices Profeſſori, ſe illi clarâ in luce conſpiciendum exhibendo, luculenter indicavit; cui (ob tenuiſsimas quaſdam labeculas ſeverè priùs caſtigato) ut eximiæ comparandæ perfectioni magis magisque inſudaret author fuit. Porrò ſingulares haſce Numinis gratias in ſe attraxit Andreas, læto & alacri contemptionis deſiderio. Si quando ab hebetiori ad Philoſophiam ingenio, hæreret coram omnibus & confunderetur, miro interiùs gaudio delibutum ſe ſenſit. Ut hoc ſe demittendi ſtudium ulteriùs porrigeret, pœnis impoſitis, ob minima etiam errata, caſtigari ſe à Superioribus impetravit; eundemque in finem, Monitorem fidelem, quem, *Paternum* appellabat *Amicum*, elegerat. Huic de minimis curæ accedunt Colloquia ſpiritualia, quorum erat ſitientiſsimus; circulosque, ſi quos iiſdem ſerendis minùs aptos reperiſſet, ſtudioſè declinabat. Beatæ Virginis, cui ex aſſe mancipatus erat, genibus nixus, manè & veſperè benedictionem petebat, & ſi quando negotii quidpiam cum alio peragendum haberet, Tutelari

Digitized by Google

ejuſdem Angelo commendatum rei exitum impetrabat.

Richardus Fulwoodus. Andreæ è multis parem, non ſine aliorum fortè injuriâ, Richardum Fulwoodum ſelegimus. Hic Spiritualium Exercitiorum tempore proſpiciebat eccui rei ad vitæ æternæ lucrum, per decurſum anni inſequentis inſudandum potiſsimum eſſet. Nec major in proponendo fervor, quàm fidelitas in exequendo propoſita eluxit, dum omnia progreſsûs ſpiritualis impedimenta promptiſsimè amoveret. Regularem obſervantiam à ſe ad amuſsim exigebat, æterna ſpirabat, corde, ore, & opere ſectabatur. Deum in omnibus quærebat, à quo è medio ſtudiorum curſu raptus, ingenti ſuo ſolatio, noſtrorum verò deſiderio, in vitâ paucorum annorum breve nobis exhibuit virtutum compendium. Lectulo affixus, Symbolo recitato Eccleſiæ, votorum iteratâ nuncupatione, Societatis ſe Filium profitebatur. Duplici hoc fiduciæ tectus clypeo, ingenti animo, ad ingentes ſe diſponebat calculi cruciatus, quibus graviſsimè ſævientibus, ab aſtante quodam monitus ut *Maria Mater gratiæ, Mater Miſericordiæ* identidem repeteret, ſuaviſsimo parebat affectu, aiens: his Patronus meus Sanctus Richardus moribundus utebatur verbis. Tum, S. Richarde ora pro me, & mecum iterùm, iterùmque, quo olim animi ſenſu, ingemina *Maria Mater gratiæ, &c.* Crucifixi impetratam imaginem avidè ſtringens, nullum eandem ſuaviandi, amplexandi, lachrymis irrigandi finem fecit. Patri monenti, caput ne fatigaret, & quomodò, inquit, fatigari poſſum Deum meum amando, quem nunquam in vitâ ſatis amavi; ſine me, Pater, JESUM meum amare, amando ſuaviari, ſuaviando delectari. Jubenti tandem Patri paululum ut reponeret: Deponam, inquit, Obedientiæ amore, etiam ipſum meum amabilem JESUM. Hæc ille mente in Deum defixâ, dum corpus accutiſsimis ſtimulatum cruciatibus, quiddam ſupra humanas vires tolerare videbatur. Interrogatus, quâ maximè parte doleret: Toto, inquit, corpore. Ad hoc reponenti cuidam; eò es JESU tuo ſimilior:

Minimè

Digitized by Google

Minimè, ait, deeſt corona ſpinea; hanc, mi bone JESU, ſi lubet, concede. Sic inexplebili ardens patiendi deſiderio, & acerbiſſimis abſumptus doloribus, JESU ſuo, ut confidimus, obviam proceſsit, immarceſsibilem gloriæ coronam accepturus, miris interim pietatis ſtimulis omnium aſtantium pectoribus infixis.

Ægrè me abſtineo quin hoc loci felicem vitæ exitum ſubjungam Simonis Ruſſelli, qui ad acceptum mortis nuncium animavit ſe lætâ hâc exclamatione. *Eia eamus, ſubvolemus in cælum.* Sanguine ſuo exarata vota, expetitum moriendi à Rectore præceptum, & impetratus ad mortem ſacer Divo Matthæo dies, ipſius Sanctitatem non leviter commendant. Habet & Franciſci Palmerii, acutiſsimi ingenii juvenis, vita ab omni gravioris noxæ piaculo immunis, habet & mors quam imperterrito appetivit animo, parem innocentiæ, parem patientiæ laudem. Thomæ verò Evanii non ita pridem mortui, eximiis prorſus meritis, ad cumulum accedit longo certamine fortiſsimè profligatus Dæmon, nequicquam cum morte luctanti terribilis inſtans. Sed hos, alioſque non abſimiles, ſtudio brevitatis allectus, volens prætermitto.

Gulielmus Brunus; & Rogerius Gerardus.

Divinæ benignitatis, nullam à ſuo regno conditionem excludentis, illuſtre præbent documentum, Gulielmus Brunus, & Rogerius Gerardus. Hos diſpari ortos proſapiâ, diſpari in certamine paribus armis pugnantes, par contra ſeipſos victoria coronavit. Gulielmus illuſtri genere natus, de mundi vanitate, cui à puero innutritus fuerat, domito faſtu triumphavit. Rogerius ex abjectis natalibus, ulteriùs ſe abjiciendi anſam nactus à nativâ vilitate ad eximiam virtutem, humilitate ſurrexit. Nunc de utroque ſigillatim.

Gulielmus Brunus, Comitum de Monte-acuto Nepos, Frater, & Patruus, Materno genere non minùs illuſtris fuit, utpotè Ducibus de Feriâ (quorum magnum eſt in Hiſpania nomen), ſanguine vel affinitate conjunctus, Venationi, velocium equorum

Digitized by Google

curſibus, & cæteris aulæ paternæ oblectamentis, à puero aſſueverat, iiſque Adoleſcens magnoperè delectabatur. Splendor illi veſtium, menſa lautiſsima, cæteraque, quæ familiæ ſplendorem decerent. Quæ autem juvenilis ætatis pudorem læderent, averſabatur adeò, ut illibatam Innocentiæ Baptiſmalis ſtolam, nullâ graviori maculâ fœdarit. Lauretum pietatis causâ profecturus, Audomarum deflectit, ubi injecta illi à Deo cogitatio, ſacris Sancti Ignatii Commentationibus aliquot diebus ſe exercendi. Hîc vitam anteactam, ac rerum caducarum vanitatem recolens, fixum habuit ſæculo renunciare. Ad Societatem deindè animum adjiciens, in Coadjutorum temporalium gradu maluit conſiſtere, quàm ad Sacerdotium aſpirare: Deo, humilitatis exemplum in Gulielmo exhibere, jam tum diſponente. Quàm verè cum habitu mentem mutarit, ſtatim patuit. Molli olim culcitrâ jacere ſolitus, nunc laterculo pro pulvinari uſus, nudo cubabat aſſere. Veſtium ſplendorem, vili tunicâ commutavit; eâque ſolâ ſuper induſio, etiam gelidâ hyeme contentus erat, quòque ex Culinæ miniſteriis ea eſſet ſordidior, eò ipſi ſumptuoſior, ſplendidiorque videbatur. Domandis olim equis ſtuduerat, nunc flagris & jejuniis carnem ſubjiciebat ſpiritui. Olim amplo famulitio ſtipatus gradiebatur, nunc famulis ipſis famulare obſequium exhibere in deliciis habuit. Dum viliſſimo diſtineretur officio, de familiæ illius ſplendore mentionem fecerat non nemo. Subiraſci Gulielmus, & mallem, inquit, ejectamenta hæc, (quæ fortè ad porcos deferebat) in humeros ejeciſſes. Interea Mater, ſordidâ Nati, ut putabat, Sanctitate, maculam Familiæ aſpergi rata, per litteras admonet, Nominis, Familiæque rationem habeat. Cui ille modeſtè; ſint, inquit, tibi, Mater, deliciæ tuæ, meas mihi, obſecro, ne eripito. Simulque ſyncerè fatebatur eo ſe ex hac ſuâ humiliatione liquidiſsimæ voluptatis ſenſu perfundi, ut exprimendo non eſſet. Sed nunc Gulielmum Mariæ ſanctum otium, cum pio Marthæ labore conſociantem videamus. Cùm Collegium Leodienſe extrueretur, lapides admovere,

Digitized by Google

terram inutilem & ſordes amoliri, & inter bajulos onera portare conſuetum illi fuit. Corbe viminea, more bajulorum, tergo alligatâ, injectam humum, aut lapidum fragmenta, ultrò, citròque cùm portaret, ex Libello *de Imitatione Chriſti*, dum ad excipienda onera ſederet, pia aliqua documenta legebat; dum incederet, lecta recolebat. Hàc ratione, non tam, repetitis frequenter (ut de veteribus Anachoretis Caſſianus) mentis ejaculationibus, quàm vix interruptâ cœleſtium rerum cogitatione labores condiebat. An hæc conſuetudo ex longâ meditatione ortum duxerit, an eam conſecuta ſit, haud facilè quiſquam aſſeruerit. Certè eminuiſſe eo in genere Gulielmum, extra dubium eſt. Binas manè ex ſolido horas, totidemque à meridie, ſi qua labori requies concederetur, meditationi, dicam, an contemplationi? tribuebat. Certè ubi veritatem apprehendiſſet, ea ſine diſcurſu intellectum veritatis luce, voluntatem amoris igne perfundebat, neque foris ſtrepitu, hominumve frequentiâ, hanc puriſſimæ mentis cum Deo unionem interrumpente. Eâ fuit intentionis puritate, ut viginti annorum ſpatio, cœli aut inferorum, neque ſemel habitâ ratione, in Deum ob amorem, quo dignus eſt, ſe ſuaque omnia referret. Mors vitæ ſimilis, peſte tactum abripuit. Quam inſtare ubi percepiſſet, Roſario de more ad collum appenſo, Chriſti Corpus habens in pectore, Deum in corde, JESUM in ore, ſanctâ quiete compoſitus eſt anno 1637.

Gulielmus itaque, ſui, ſalutisque æternæ, ut piè credimus, jam ſecurus, Rogerium Gerardum, rei temporalis adjutorem alium (morum ſimilitudine ſibi devinctum) per quietem monet, ex peſtilente, quâ tenebatur, febri, vitæ ipſi finem inſtare. Natus erat Gerardus humili in Weſtphaliâ loco, ſed ideò ſolùm infelix, quod Lutheranam hæreſim Materno cum lacte imbibiſſet. At Paſtor Cœleſtis qui eum inter ſuas oviculas agnoverat, domum noſtram direxit: ubi Fidei myſteria edoctus, non hæreſim modò dedidicit, ſed (probatâ priùs conſtantiâ) cum Religioſæ vitæ

Digitized by Google

inſtituto commutavit. Neque duplici hac ad fidem, & JESUM converſione contentus, perfectionem in perfectione quærere cœpit; eoque, de gradu ad gradum aſcendens, devenit, ut Superiorum permiſſu, *ad omnes Societatis Regulas accuratè ſervandas voto ſe obſtrinxerit.* Quare in Cōſtitutionum omnium perfectionem intentus, illam præ cæteris cordi habuit, *quæ majorem ſui abnegationem, & continuam omnibus in rebus mortificationem* præſcribit. Ex hâc regulâ corpus tractabat duriſſimè, ſenſus in officio continebat; animi motus omnes rationis fræno coërcebat, eòque tandem devenit, ut vix ullam regulam obſervatu faciliorem, dictitaret. Dum Sanctæ Thereſiæ vitam attentiùs perlegeret, hos Divinæ lucis radios pectori ejus Deus infuderat, ejuſque illapſu adeò recreatus eſt, ut humi ſtratus, Angelos, Cœliteſque omnes, ad reddendas ſecum Deo gratias enixè incitaret. Ad fovendam hanc flammam, exercitiis ſpiritualibus, præter morem Societatis, per menſem vacavit, quibus tanto perfectionis ſtudio exarſit, ut accedente Superioris voluntate, Divam Thereſiam imitatus, aliud votum nuncupârit, *faciendi in omnibus quod perfectiſſimum, Deoque acceptiſſimum judicaret.* In hoc, ut ſic dicam, culmine conſtitutus, mirum non eſt, ſi omnium virtutum ornamentis præluxerit Sociis. Rarâ erat ſui deſpicientiâ, utque ſe omnibus vilem exhiberet, ſordidos natales, in ſæculo inediam, rerumque omnium indigentiam crebrò commemorabat. Menſæ, ad neceſſariam corporis refectionem, accumbens, quicquid placere guſtui potuit, à ſe removit. Superiores interea, Beati Aloyſii exemplo, ut vigilias vigiliis, jejuniis jejunia, flagra flagris adderent, nunquam non rogando fatigabat. Gerardus ita mundo mortuus, ſoli Deo vixiſſe viſus eſt. Cum eo certè nunquam interruptum commercium habuit, non diurnis modò, ſed nocturnis horis (brevi enim ſomno uſus eſt) ſanctam illius voluntatem exquirendo, ad eamq; exequendam gratiæ Divinæ opem poſtulando. Deum in proximis intuitus, debito omnes amore & obſervantiâ coluit. In Supe-

Digitized by Google

rioribus Chriſtum, in Patribus Apoſtolos, in Fratribus Diſcipulos venerebatur; dumque Sanctorum, ut aiebat, commercio ſe indignum crederet, in eorum contubernium, ut piè conjectari licet, admiſſus eſt. Anno 1637.

Joſephus Lowicus Joſephum Lowicum potiùs virtutum, quàm natalium ſplendor illuſtrat. Parentes ſolâ pietate divites, quoad cætera pauperes & deſpecti, in carcere, quem Fidei causâ perpeſſi ſunt, eum ſuſcepêre, anno hujus ſæculi undecimo. Matri parienti Beatam Virginem obſtetricaſſe, & in gratam beneficii accepti memoriam, Joſephi nomen infanti fuiſſe impoſitum, non levibus conſtat argumentis. Gratiam tam illuſtrem factam ſibi fuiſſe, nonnullis quos habebat arcanorum omnium participes, aſſerere non verebatur vir humilis, & in iis quæ ad ſui laudem ullatenùs conferrent referendis apprimè cautus. Quibus proindè virtutibus priores ipſius anni enituerint, ex tam fauſto vitæ ſanctioris præſagio, facilè licebit conjicere. Anno Salutis milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo-tertio in Societatem recipi, & temporalibus Coadjutoribus adſcribi petiit, obtinuitque. Novam hanc vitæ rationem feliciter ingreſſus, eò maximè vires ſuas, omnemque induſtriam retulit, ut ad Sancti Patris noſtri Conſtitutiones, præſcriptamque ab eo vivendi formulam ſe totum componeret. Morum certè verborumque ingenuitas internum animi candorem pulcherrimè exprimebat: conſtans rerum terrenarum contemptus, & innatum vanitatis odium, in mundo eum non tam incolam, quàm viatorem & hoſpitem egiſſe oſtendebant. Virtutis odorem adeò gratum actiones ejus omnes ſpirabant, ut indè, quo duceretur ſpiritu, facilè quiſpiam dignoſceret. Præcipuis ipſi erant in deliciis occupationes illæ, quas tanquam nimis arduas, minùſque gratas, alii exhorreſcebant. Ex amore, odio, ſpe, metu, aut ad captandam gratiam nil agebat, ſed omnia ex ſolo Divinæ Bonitatis intuitu: De hominum opinione parùm ſollicitus, vitam ita demùm inſtituebat, ut planè conſtaret, nullius eum niſi Dei judicium de ſe reformidare;

Quæ quidem præclara de ſe pariter & mundo reportata victoria, ad maximas ei virtutes viam aperuit. Paupertatis & Obedientiæ nemo quiſquam amantior; nemo tenacior eorum, quæ ſine Superioris permiſſu non licet erogare: Quoties verò per veniam liceret, liberaliori manu, nemo quidquam diſtribuebat, præſertim in pauperes; quorum, dum Janitoris munere in hoc Collegio fungebatur, aſſiduus erat apud Rectorem Advocatus, nudis veſtes, victum eſurientibus, neceſſaria omnibus emendicans, ipſo interim Rectore piis optimi Viri poſtulatis libenter obſecundante. Sed inter omnes quæ in eo fulgebant virtutes, primum ſibi locum vendicabat ſingularis illa voluntatis cum Divinâ conſenſio, quâ factum eſt, ut extra rerum terrenarum ſphæram quodam modo poſitus, omnes eventus, eodem animi tenore exciperet, proſperis & adverſis ex æquo altior, quia ſemper inferior Deo, ejuſque in omnibus arbitrio perfectè ſubditus. Sic montes quoſdam Geographi nobis depingunt, quorum in cacumine perpetua regnat ſerenitas, nubibus & ventis eo altitudinis nunquam pertingentibus. Hanc ſanè perfectionem, ut nullo ſcilicet rerum eventu, quod omnia regerentur divino nutu, vel leviſſimè turbaretur ſe ferè aſſecutum eſſe, Patri cuidam ſignificavit aliquot ante mortem annis. Hæc inter virtutum exercitia, ſenio & continuâ ſui maceratione propè confectum, varii morbi afflixerunt, & præ cæteris gravis intemperies, quæ alterum ei brachium ita affecit ut ab humero uſque ad carpum profundè incidi neceſſe fuerit. Ipſe interim nihil ardentiùs, quàm patiendi occaſiones expetens, immoto vultu, & ſine gemitu, lanienam hanc toleravit. Claro ſanè magni animi, & à Deo unicè pendentis, indicio. Tandem plenus meritis, cœloque maturus, piè, placidèque tranſiit, ut ſperamus, in gaudium Domini, Die 15. Octobr. anno 1675.

Sunt hæc, Sereniſſime Princeps, domeſtica virtutum exempla, quibus, ſi ad virtutem minùs incitemur, vitio nobis jure vertetur. Et licet aliundè illuſtriora deſumere in promptu ſit, ea tamen,

Digitized by Google

neſcio quo pacto præ cæteris feriunt, quæ inter eoſdem parietes geſta, & nobis tanquam hæreditate tranſmiſſa, noſtra jure merito dixerimus. Cumque conjecturâ non levi conſtet, Te, Vir Maxime, Avi Tui, qui bella contra Hæreticos fortiter ſuſcepta, feliciter confecit, & Patris, qui Tibi ad bellum Turcicum exemplo præivit, geſta recolendo, ad aſſerendum Familiæ Tuæ Sereniſsimæ hæreditarium decus, fortiùs impelli, quàm ſi Alexandri Macedonis, aut Julii Cæſaris trophæa conſpiceres: Ita ſperamus his noſtrorum virtutibus ante oculos poſitis, ad eorum premenda veſtigia, nos haud mediocriter excitandos: ut piæ Munifici Fundatoris intentioni faciamus ſatis.

Digitized by Google

Qui Doctrinæ laude conſpicui.

Noſtra vita ratio à ſcribendo aliena.

Cum vitæ noſtræ ratio, & pia Fundatoris intentio in ſolem pulveremque nos potiùs educat, quàm in umbrâ litterariâ ſcribendis libris vacare permittat: Mirum non eſſet, ſi pauca tantùm litterarum monumenta noſtrorum induſtriâ in lucem prodiiſſent. Ea certè Angliæ conditio eſt, ut nos in meſſem ſuam quàm primùm vocet. Quare ubi Philoſophiæ ac Theologiæ emenſo curriculo, ad laborandum debitè inſtructi ſunt noſtri, abjecto calamo, falcem arripiunt, ſeſeque operi accingunt. Neque tamen defuêre, quibus tantum otii fuit, ut elucubrare aliqua, & in lucem edere potuerint. *Scriptorum manipulus.* En itaque, Sereniſsime Princeps, Scriptorum manipulum, qui ex Athenæo tuo Leodienſi prodiit, exiguum illum quidem, ſed ſi tuorum in Chriſti vineâ, labores ſpectentur, non planè ut confidimus, contemnendum. De Authoribus id dixiſſe ſuffecerit, inter eos ſcribendi ſoliditate, vix quemquam eminuiſſe, qui majorem virtutis, quàm doctrinæ laudem non tulerit.

Philoſophia. P. Thom. Comptonus. Philoſophiam juſto volumine comprehenſam Maximiliano Bavariæ Duci inſcripſit P. Thomas Comptonus Carleton. Hoc in Opere quæſtiones in Scholis agitatas dilucidè tractat; & ut ſtyli elegantiâ nemini cedit, ita argumentorum vi & pondere obtinuit,

ut

Digitized by Google

ut in variis Hiſpaniæ Academiis pro Authore publicè prælegatur. Nobili Proſapiâ oriundus erat, ac Societatem ab ineunte ætate amplexus, ſtudiorum ſeveriorum labore Leodii perfunctus eſt. Philoſophiæ deindè ac Theologiæ tradendæ adhibitus, varios in erudito hoc pulvere traduxit annos, ac tandem in ſtudiorum Præfecturâ conſeneſcens, piè obiit die 24. Martii anno 1666. vitæ puritate, & teneræ conſcientiæ laude commendatus.

P. Gulielmi Ailworthi, qui ſe Harcottum Leodii ficto nomine vocitabat, *Quæſtiones Metaphyſicæ* Authoris perſpicax ingenium & in Philoſophicis, æquè ac Theologicis apprimè verſatum abundè prædicant. Hujus, Oatianæ perſecutionis procellâ diu jactati atque ejuſdem vi fractis viribus defuncti, Elogium alibi dabimus. *P. Gulielmus Ailworthus.*

Philoſophiam brevi Methodo deductam vulgavit P. Antonius Terillus, de quo pluribus inferius. *P. Antonius Terillus.*

In Re Mathematicâ complures Tractatus à Noſtris elucubrati, qui lucem non viderunt, vel Provinciæ inopiâ, quæ à ſuâ origine continuis tempeſtatibus agitata, & penè obruta fuit, vel Mecœnatum paucitate, qui Præli ſumptus ſuppeditarent. *Mathematica.*

Geminum Opus typis vulgavit Pater Franciſcus Linus, *de Lineâ Spirali* unum, & alterum *de Re Gnomonicâ*, in quo Horologia Londini in Horto Regio à ſe erecta illuſtravit. Plura luce publicâ digniſsima reliquit opuſcula, quibus nihil in hâc ſcientiâ intactum reliquit. Iis certè ſtudiis uſque adeò excelluit, ut peritiſſimus quiſque per Europam illius de rebus difficillimis mentem exquireret. Spectaverunt attoniti tum alii multi, tum præſertim Illuſtriſſimus ac Reverendiſſimus Dominus Petrus Caraffa, ad inferiorem Rheni tractum Apoſtolicus Nuncius, horologium quod hîc Leodii erexit P. Linus, cujus formam & uſum paucis ſubjicio. Pelvim vitream juſtâ laterum altitudine, & globum æneum (in cujus zonâ figuræ duodecim, totidem horarum indices, exſculpebantur) faciendum curavit. Tum in pelvim, aquâ à *P. Franciſcus Linus.*

Digitized by Google

ſe compoſitâ, impletam, globum immiſit, qui quaſi ſuis libratus ponderibus hærebat in medio. Sed quod maximè mirandum, id erat operis artificium, ut globus ſuo nutu, & motu tam æquabili circumageretur, ut piſciculus qui è latere pelvis promicabat, horas roſtro accuratè indicaret. P. Lini virtutes alibi dedimus.

Theologia. P. Thom. Comptonus. Duplici Tomo explicatam *Theologiam* edidit, quem ſupra laudavi P. Thomas Comptonus: quorum priori Sereniſsimi Ferdinandi Mariæ Bavariæ Ducis patrocinium imploravit, de quo Opere, quoniam omnium manibus teritur, nihil pronuncio.

P. Antonius Terillus. P. Comptono, P. Antonium Terillum ſubjungo, quo vix alius in hoc Collegio repertus, qui doctrinæ opinione plures in ſui admirationem traxerit. Tanta erat illius cum ſcientiæ laude conjuncta humilitas, & morum comitas, ut quamvis longè latèque de rebus maximè perplexis, oraculi inſtar conſuleretur, cum infimo quoque tamen non dedignaretur de rebus doctrinam ſpectantibus, quaſi cum Magiſtro agere, procul omni faſtu, vel minimâ animi ſibi complacentis umbrâ. Hujus porrò quàm ſubtilis fuerit ingenii vis, fatebitur quiſquis de *Conſcientiâ Probabili* ab eo edita volumina perlegerit: quibus fortè ad Moralis Theologiæ perfectam intelligentiam nihil deſiderabitur magis, nihil acceſsit utilius. Mathematicarum quoque rerum peritiâ Terillus in primis excelluit, ut tum Prælectiones publicæ teſtantur, tum etiam Libellus *de Termino Magnitudinis, & Virium in Animalibus*, quo ex penitiſsimis Geometriæ arcanis argumentum illud ſolidè demonſtrat.

P. Thom. Sotovellus. His decennali Magiſterio, & rerum Theologicarum peritiâ minimè ſecundus P. Thomas Sotovellus, qui libro *de Analyſi Fidei* plus ſatis patefecit, qualem inter Theologos locum mereatur. Opere illo perlecto Baronius adverſarius Heterodoxus, calamū deſperabundus abjecit, & cum laude Sotovelli à ſcribendo deſtitit. Sanctam Patris Vitam, ut majori dignam encomio ſuperiùs retulimus.

Digitized by Google

Sed Latina ferè aliis tractanda relinquimus, ut liberiùs iis, quorum major in Angliâ, imò præſens ferè ſemper neceſſitas, mentem calamosque occupemus. Enimverò cùm hæreſeos venenum per libros vernaculo ſermone ſcriptos, longè latèque ſerpat, rei Catholicæ malè conſuleretur, niſi antidotum eodem porrigeretur. Quam in rem uſque adeò intenti fuêre Patres, ut periculoſius ab hæreticis opus nullum prodierit, quod non ſtatim refutare aggreſſi ſint. *Libri Anglicano idiomate editi.*

Eo in genere operam fructuosè poſuit P. Joannes Floydus, cujus elucubrationum indicem texere longum foret. Ut alia ſileam, in refellendis quorundam Nobilium ſcriptis, multus erat. Regnante enim JACOBO I. doctrinæ laude conſpicuo Principe, ut Regiam gratiam aucuparentur feliciùs, libris editis, Religionem Anglicanam tueri aggreſſi ſunt. Hos pro merito exagitavit Floydus, & non neminem Catholicis petulantiùs inſultantem, ita confixit, ut riſu propterea à Rege exceptus, ægritudine animi in morbum inciderit, ex quo paulatim contabuit. Eo ſtudii ardore abripi ſolebat optimus Pater, ut varias de ſe Hiſtorias excitarit. Unam refero. Dum ſemel in Bibliothecâ lectioni intentus, candelam ſiniſtrâ manu teneret, ea paulatim conſumpta nervum indicis aduſſit; contraxitque, ut extendi ampliùs digitus ille non poſſet; quod cùm nullo Patris ſenſibili dolore fieret, illum, animo à ſenſibus quaſi abducto, ſtudiis vacaſſe indicio fuit. Hunc Adoleſcentes novimus venerabili canitie Senem, continuâ ſcriptione, ſanctiſque in Vinea Chriſti laboribus exhauſtum, miratique ſumus grandi ætate vividum ingenium, vitamque Religioſæ Diſciplinæ in omnibus conformem. Apoplexiæ initiis tactus, è lecto ſurrexit, vicinumque Miniſtri cubiculum adiit, enixè rogans, ut ſe Sacramentis quamprimùm ad extremam luctam armaret, quibus placidè acceptis, placidâ morte quievit die 15. Septembr. anno 1649. *P. Joannes Floydus.*

Neque in hâc palæſtrâ minùs utiliter pugnavit P. Edvardus

P. Eduardus Knottus

Knottus (vero nomine Wilſonus) ac præſertim in eruditiſſimo Opere, quod *Larvam infidelitati detractam*, inſcripſit. Graſſari per Academias Angliæ cœperat Sociniana Hæreſis, cujus initiis ſe ſtrenuè & feliciter oppoſuit Knottus. Eo enim argumentorum pondere Monſtrum illud dejecit, ut laudem ab hoſtibus tulerit. Defuncto enim Adverſario, in eundem cum illo tumulum Academici intulêre librum, quem Pater refutarat. Tanta eſt hujus Authoris ſcriptorum varietas, ut mirum ſit, Viro in regendis ſociis præcipuè occupato, tantum otii fuiſſe. Si quis in Angliâ doctrinæ laude præcellens, de Fidei Myſteriis tractare cuperet, Knottum præ cæteris conſulebat, doctrinæ laude obſtinatis formidabilem, doceri volentibus ſummè charum. Inter cæteras ejus virtutes, eminuêre prudentia, & fortitudo, quas tum in aliis officiis patefecit, tum præcipuè, cùm toti Provinciæ præfuit, quo munere dum ſecundùm fungeretur, ſanctæ vitæ præmia, uti ſperamus, conſecutus eſt die 14. Januarii anno 1656.

P. Thom. Carvellus.

In eandem arenam deſcendit P. Thomas Carvellus, (vero nomine Thoroldus) Philoſophiæ olim Leodii Profeſſor, docto Opere, cui titulus *Laudi Labyrinthus* eſt. Conceperat novæ Religionis ideam Laudus Pſeudo-Præſul Cantuarienſis, quâ Eccleſiam, quam Reformatam vocant, reformaret magis, perpoliretque. Sed eum Carvellus ſuo *Labyrintho* ita implicuit, ut eum indè extricare etiamnum laborent Diſcipuli.

P. Vincentius Hatcliffus.

Vincentius Hatcliffus in hoc certaminis genere ita excelluit, ut nemo ferè illuſtrior haberetur; & primò quidem, Hæreticorum malam fidem in citandis Scripturis clarè aperuit. Scelerata deindè Atheorum dogmata, (quod genus pecoris in Angliâ non infrequens) apertè profligavit. Alia demùm multa parique fructu Opuſcula exaravit, quibus Sacrarum Paginarum Majeſtatem contra hæreticorum protervam petulantiam aſſeruit, & Schiſmaticorum ut ſuperbam, ita minimè fundatam inſolentiam orbi patefecit.

Digitized by Google

Neſcio magiſne P. Jacobum Momfordum à virtutum exemplis, an ſingulari rerum controverſarum peritiâ commendem? Gravitatis Religioſæ, ac conjunctæ comitati modeſtiæ, in orando aſſiduitatis, patientiæ, ac obſervationis regularis exemplar ſe ſemper præbuit. Carceris diuturni moleſtias, & in Fidei causâ certæ mortis metum invicto animo ſuperavit. Omnibus quibuſcum egit, eximiam in animas piacularibus flammis detentas commiſerationem inſpiravit. Pium etiam hoc argumento libellum edidit, quo ſtabilito primùm Purgatorio, Lectorem (majorinè vi an ſuavitate dubium eſt) ad *Miſericordiam fidelibus Defunctis exhibendam*, piè ſolidèque incitat. Operis elegantia indè patet, quod in omnes ferè linguas traductus, piorum paſſim manibus teratur. Quam autem rerum in Fide controverſarum peritus fuerit, loquuntur Tractatus duo, *Quæſtio* ſcilicet *Quæſtionum*, & *Scripturiſta Catholicus*: Priore, Eccleſiæ Magiſterium, & docendi infallibilitatem doctè tuetur. Poſteriore, ſolis Scripturæ locis, quos notis doctiſsimis illuſtrat, Fidei Myſteria tam luculenter confirmat, ut omne hæreticis perfugium adimat. *P. Jacobus Momfordus.*

P. Edvardus Worſlæus inter Polemicos Scriptores locum in primis meretur. Patriis erroribus à pueritiâ irretitus, diu inter Proteſtantes, doctrinâ, & Beneficio Eccleſiaſtico eminuit. At ope Divinâ, pravorum dogmatum detectâ falſitate, ad ea refutanda animum adjecit. Ad quod munus ut paratior accederet, ſtudia, conſtante jam ætate, à Logicæ rudimentis redordiri conſtituit. Quare Philoſophicis triennio, quadriennio Theologicis diſciplinis impenſo, eaſdem poſtea publicè explicuit. Tum quas à teneris percalluit, hæreticorum fallacias detegere, ac refellere adorſus eſt, eâ felicitate ut Adverſarii præter ſannas (quibus ipſos etiam Sanctos onerant) vix quicquam reponant. Inter ejus opera, quæ varia ſunt principem locum obtinent duo, quorum unus *Proteſtantium ab infallibilitate ad Phantaſiæ ludibria infelix Caſus*: alter *Ratio & Religio* inſcribitur: ac vaniſsimorum hominum ſomnia, qui Fidei Myſteria, *P. Edvardus Worſlæus*

Digitized by Google

ſolâ ferè ratione metiuntur egregiè refellit. Inter cæteras P. Worſlæi virtutes, quibus ſe omnibus Religioſæ perfectionis numeris abſolutum probavit, id ſingulare, quod ad Dei obſequium & animarum ſalutem, cogitationes ſuas omnes, laboresque unicè direxerit: Hinc certè nil penſi habuit, quis lucubrationum ſuarum laudem auferret, modò eas variè conveſtitas, ornatuque addito, genio gentis magis accommodaret.

Hiſtoria. Recenſitis quibuſdam Controverſiarum Scriptoribus ad Hiſtoriam tranſeo. Hanc ſpartam egregiè ornavit P. Michaël Alfordus in ſuis, quos voluminibus quatuor edidit, Annalibus. Quo Opere, ſi Cæſarem Baronium, & paucos exceperis, nil in hoc genere præſtantiùs editum. Vir erat morum candore, & affabilitate mirabili. Ita ſe abdebat in Bibliothecas (omnes certè in Angliâ perluſtrarat) ut proximi neceſſitatibus ſemper inſerviret. Summis, ſe infimiſque ex æquo accommodabat, ut omnes Chriſto lucrifaceret. In more poſitum habebat in unum aliquod Chriſti vulnus, tanquam in aſylum quotidie ſe recipere, & errata, quæ examinis particularis conſtanti uſu detexerat, diligenter notare: Quæ duo ad extremum vitæ tempus retinuiſſe, vel indè patet, quod ex poſtremo morbo decumbens, cùm, fallente memoriâ, ea minùs commodè ſolus obiret, valetudinarii Curatorem rogarit, ut ſibi eorum memoriam refricaret. At invaleſcente morbo, brevi vivere deſiit, & in Eccleſiæ Triumphantis cœtum, cujus adhuc militantis certamina, & palmas expreſſerat, uti ſperamus, receptus eſt. Die 11. Auguſti anno 1652.

P. Michaël Alfordus.

P. Henricus Morus. Neque tenue ſui ſpecimen præbuit P. Henricus Morus in *Hiſtoriâ Provinciæ Anglicanæ*, cujus ortum, progreſſum, labores, certamina, ad noſtra ferè tempora deducit. In ſecundo ejuſdem Hiſtoriæ volumine, ſi unquam prodeat, locum merebitur Morus ipſe, vivum omnis virtutis exemplar. Singulari cultu Virginem Deiparam proſequebatur, ejuſque Roſarium aſſiduè pervolutabat. Cibi erat, ſomnique, ac verborum parciſſimus, Orationis

Digitized by Google

verò adeò ſtudioſus, ut vix aliud per diem agere videretur. Quàm autem innocuam, omniſque labe puram vitam traduxerit, oſtendit frequens cum mortuis commercium. Certè animas igne purgante detentas, ejus ſæpè preces imploraſſe, ipſemet non obſcurè innuit: & penè extra dubium eſt, quo die Mater Londini obiit, id Morum Romæ tunc agentem reſciſſe. Præcipua munia cum laude obiit, Religioſæ diſciplinæ in omnibus tenax. Demùm poſt adminiſtratam Provinciam apoplexiâ tactus, omnium, qui eum noverant, luctu deceſſit, Die 8. Septembr. anno 1661.

Res aſceticas excoluêre complures, ac præſertim quos ſupra laudavi, P. Henricus Morus, & Jacobus Momfordus, cui in excitandâ erga fideles Defunctos miſericordiâ non inferior P. Richardus Ashbæus. Linguarum Orientalium ſtudio licet plurimi ſe addixerint, præ cæteris tamen eminuêre PP. Andreas Vitus, Franciſcus Linus, & Joannes Danielis, omnes magnis tum virtutis, tum doctrinæ præſidiis, ad maxima quæque inſtructi. *Aſcetica & Lingua.*

Singularia P. Andreæ Viti merita, nequeunt ſine ingratitudinis notâ ſilentio tegi. Hic inter primos hujus Collegii alumnos, poſt Linguam Hebræam, ſacras Litteras, & Theologiam Scholaſticam, eximiâ cum laude explicatam, ſuperioribus ſtudiis præfuit. A ſtudiorum Præfecturâ in Angliam evocatus, ingentibus animis parique zelo, ad vineam Domini acceſſit; dignus qui Chriſti Fidem in Marilandiam, Americæ Septentrionalis Regionem Anglis ſubditam, primus inferret. In hac Provinciâ decennii ſpatio deſudans, fructus non pœnitendos tulit, præcipuo Regionis illius Dynaſta Baptiſmatis fonte tincto. Neque defuiſſe ad Neophytos in fide confirmandos miracula, conſtans eſt fama. Certè fide dignis Authoribus accepimus Barbarum quendam graviter læſum, ad mortem ab Andreâ ritè comparatum fuiſſe, cùmque vitæ ſpes nulla ſupereſſet, Pater, ad aliorum ſalutem avocatus, Crucis ſimulacrum, ad ægri ſolatium, abiens reliquit. Haud *P. Andreas Vitus.*

Digitized by Google

procul inde diſceſſerat, cùm à tergo inclamat non nemo, ſiſtere tantiſper. Cùm ecce æger qui derepentè convaluerat, cum gratiarum actione Crucem ipſi reſtituit. Quo poſteris conſuleret, Grammaticam, Dictionarium, & Catechiſmum barbaro gentis illius idiomate, difficillimo labore conſcripſit. Dum autem muneri huic Apoſtolico gnaviter inſudat, ab Hæreticis captus, cum duobus Sociis ex Americâ Londinum deducitur, & in vincula conjicitur, ubi cùm aliquandiu gravia fuiſſet perpeſſus incommoda, quòd nullâ lege prohiberetur Sacerdotum ad Barbaros profectio, vel invitis Adverſariis, libertati reſtitutus, Solum vertere juſſus eſt. Sæpiùs poſt egreſſum ex Angliâ, irrito licet conatu, ad Neophytos ſuos Americanos tentabat reditum; quos iterùm viſendi cùm nulla ſpes affulgeret, in Angliam reverſus, ad annum Ætatis ſuæ octogeſimum, lucrandis Deo animabus ſe totum impendit. Tandem in Feſto Sancti Joannis Evangeliſtæ, ſolito nil pejus habens, inter orandum internam hanc audiit, vel audire viſus eſt, vocem, *Hodie mecum eris*. Sacramentis Eccleſiæ expetitis, & impetratis, eodem die ex hac vitâ migravit, & in Cœlis, ſi ſua oraculo conſtet Fides, vivere cœpit. Vir erat abſtinentiæ ſingularis, totâque ferè vitâ in more habuit binos per hebdomadam dies ſolo pane & aquâ tranſigere. Miratus aliquando carceris Cuſtos, ejus in cibo ſumendo parcimoniam, lautiùs veſcendum monuit, ne ad mortis ſupplicium fortiter obeundum vires non ſuppeterent; cui Pater, mihi, inquit, ad omnia vires ſuppeditat jejunium. Tanta inter naturæ & gratiæ ornamenta, emicuit in eo mira animi demiſſio, & patientia longo morbo exercitata, ea morum denique & totius vitæ compoſitio, ut non dubitarint Viri graves aſſerere, nunquam clariora ſe, quàm in P. Viro Sanctitatis indicia conſpexiſſe. Viro jam provectæ ætatis, & planè edentulo, dum ad iter Marilandicum ſe accingeret, novi dentium ordines, ſubitò, & præter expectationem exorti, expeditiorem ipſi loquelam reddidêre; providente nimirùm

Digitized by Google

nimirùm Divinâ Bonitate, ne ex defectu impeditæ vocis, Apoſtolici Concionatoris labor, & conatus omnis inutilis evaderet.

P. Joannis Danielis hæreſeos erroribus à teneris imbutus, in iis adoleverat. Doctus in paucis habitus, Montacutio Pſeudo-Epiſcopo Norvicenſi, à Sacellis fuit. Quo in munere toti Familiæ confitenti aures ſæpè dederat. Re diu ſerióque perpensâ, Montacutium hoc dilemmate aggreditur. Si eliminanda fuerit, quam Catholici profitentur, peccatorum Confeſsio, cur te tuosque, confitendo, rubore ſuffundis? Si verò ad abolenda peccata vi polleat, cur tam ſalubre remedium gregi tuo Paſtor non communicas? Cui ille. In præproperâ, inquit, Reformatione, varia reſecta ſunt oppidò neceſſaria, inter quæ Confeſsionem numero; cœterùm, ut eam aliis commendem temporum non patitur iniquitas, quæ præmii loco, Epiſcopatu me meo pelleret. Cohorruit Pater, audito majorem boni tranſituri, quàm æternæ ſalutis à Viro, quem probum judicârat, rationem haberi. Scripturas itaque & Sanctos Patres, in quibus erat verſatiſsimus, conſulendos duxit: iiſque volvendis decem de die horas annos aliquot impendit. Nova indè lux orta, & quæ in iis voluminibus priùs viderat, jam primùm videre ſibi viſus eſt: quod omnia, Spiritu Sancto docente, Fidem Catholicam, à quâ adhuc erat alienus, ſpirare crederet. Tandem adhibito in conſilium P. Eduardo Knotto, veritati manus dedit, Catholicæ Eccleſiæ, & Societatis JESU ferè ſimul Candidatus. Huic aſcriptus Vir omni doctrinæ genere, ac præſertim Conciliorum & Sanctorum Patrum, quos ferè memoriter callebat, notitiâ inſignis, à Logicâ redintegrare ſtudia voluit, ut ad confutanda Hæreticorum dogmata paratior accederet. Omnium interea virtutum face Sociis præluxit, ſeque mundo mortuum, antiquâ ſinceritate, ac raro animi candore teſtatus eſt. Alios quàm de Deo, rebusque piis ſermones non ferebat. In iis maximè ſe exercere ſolitus fuit, quæ Heterodoxii

P. Joannes Danielis.

H

averſantur, quo fiebat ut Sanctos omnes, ac præcipuè Divam Virginem, ac Sanctum IGNATIUM, ſingulari devotione proſecutus ſemper fuerit. Variis Officiis cum laude perfunctus eſt, cùmque rerum Spiritualium Præfectum Leodii ageret, abſoluto Miſſæ Sacrificio, apoplexiâ tactus, ac Sacro Oleo munitus interiit, Die vigeſimâ-primâ Novembris anno milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo-octavo.

Digitized by Google

Victimæ Charitatis.

ATHLETAS ſuos triplex in certamen vocat, quà Deo, quà proximo debita Charitas. Hos cruentam ducit in arenam, ut, quam verbo prædicavêre, ſanguine obſignent Chriſtianæ fidei veritatem. Illos in carceres & ſpecus compingit, ut pædore ac ſordibus confici ſe potiùs ſinant, quàm ut intemeratę Religionis puritati labeculam vel minimam aſpergi patiantur. Alios demùm, lue aut morbo contagioſo tactis devovet, ut quos Chriſtus Sanguine ſuo redemit, eos, ſui corporis impendio, ad felicem comparent æternitatem. Priorum ſpecimina mox daturi, hîc de ultimâ claſſe pauca dicemus, id unum præfati, hos Heroes magno olim numero in Eccleſiâ habitos, & Martyrum ferè purpurâ donatos. Certè cùm juxta Divinum Chriſti Oraculum, Charitatem maximam, *animas pro amicis ponendo*, exhibuerint; eos, cum Orbe Chriſtiano penè univerſo, charitati victimas occubuiſſe, meritò dixerimus.

Varia Charitatis exercitia.

Quod ſi pauciores numeret Provincia noſtra, qui in hâc charitatis palæſtrâ deſudarunt, id tum Cœli, ſolique benignitati, quæ raró peſtiferos vapores exhalant, attribuendum; tum hęreſi vertendum vitio, quâ aditus noſtris, ad ferendam tabeſcentibus opem præcluditur.

Peſtis Londini deſævit an. 1665.

Labente hujus ſæculi anno quinto ſupra ſexageſimum, peſtis horrendum in modum Londini graſſata, & multos mortales

paucorum menſium ſpatio depaſta eſt. Octo vel novem millia per hebdomadam, & cùm ſæviret maximè, ſexdecim millia unâ ſeptimanâ dicuntur extincta, licet duodecim millia tantùm referebantur in tabulas, ne tot per Urbem funera nimio luctu univerſum Regnum affligerent. Accurrêre ſtatim ægrorum ſubſidio Patres Societatis, & duo brevi tempore adempta, Cœlo dudùm matura capita. Unus, primis noſtris Patribus ferè coævus, Petro Ribadeneïræ certè perquàm familiaris, fuit P. Eduardus Lusherus, de quo, quia ſolos Bavariæ pugiles recenſeo, hic pluribus agere volens ſuperſedeo. Alter inter hujus Collegii lumina meritò numerandus,

P. Eduardus Lusherus.

P. Eduardus Keynes, cujus memoria in benedictione eſt. In eo, ſingulari induſtriâ viſa eſt laboraſſe natura, ut animæ, omni virtutum genere ornatiſsimæ, dignum pararet domicilium; exterior quippè corporis ſpecies ad modeſtiam ita compoſita fuit, ut perfectam Viri Religioſi ideam exhiberet. Virtutes adeò omnes de animæ ejus imperio certarunt, ut quæque primas, ſine alterius diſpendio obtinere videretur. Paupertatem à S. IGNATIO ſuis tantoperè commendatam, quàm verè, etiam in minimis, ut Matrem coluerit, attritæ, quibus ſemper induebatur, veſtes, & calamus, quo variis licet caſibus attrito, per quinquennium uſus eſt, argumento fuêre. Egregius ſui contemptor non modò ſales in ſe jactatos patienter audivit, ſed quaſdam de ſe narrare ſolebat hiſtorias, quibus vilem ſui æſtimationem aliis inderet. Obedientiam Religioſam quanti fecerit, moribus & exemplo impensè docuit, dum ad omnem nutum Superiorum paratiſſimus, ſe totum iis regendum ſine ullâ reſtrictione permitteret: & longo itineri ſe accingens, ipſo die quo abitum parabat, pulverem è ſcamnis aulæ, more ſolito detergeret, priùs quàm ſe in viam daret. Singularem in Deum pietatem, tum prolixâ oratione, tum continuis de Deo colloquiis, & oſtendit, & auxit. Eâ Sacram Euchariſtiam reverentiâ tractabat, ut, cùm ſemel inter ſacrificandum, aranea veneno tumens, è Templi

P. Eduardus Keynes.

Digitized by Google

fornice in apertum fortè Calicem decidiſſet, ne quâ irreverentiæ umbrâ ſacræ Species comburerentur, araneam ſimul illæſus deglutierit. Tanta ei cura fuit tuendæ caſtitatis, ut quamvis pluribus annis humaniorum litterarum ſtudio fuerit addictus, induci tamen nunquam potuerit, ut quartum Virgilianæ Æneïdos librum perlegeret, ne etiam à caſtiſsimo Poëtarum Ethnicorum minùs purum aliquid ejus menti afflaretur. At ne quod adminiculum prætermitteret, quo ad perfectionem aſſurgeret, quidquid ei cœlitùs immiſſum eſt luminis & piorum affectuum, id totum ſcripto ſedulò mandabat, ad praxim poſtmodum, majori lucro, reducendum. Nec deerat Servi ſui conatibus Deus, qui certis eum ſingularis benevolentiæ ſignis ſubindè recreabat, quorum unum refero. Dum Audomari verſaretur Eduardus, in eodem Collegio feliciter diem obiit, cujus antea meminimus, Andreas Wilſonus. Ad Templum more ſuo ſe conferens Pater, cùm per duas horas pro ejus animæ refrigerio preces ardentiſſimè fudiſſet, eâ ſubitò triſtitiâ, & mentis ariditate correptus eſt, ut ſine horrore quodam de defuncto, quem antea magni fecerat, cogitare non poſſet. Ad familiare ſibi remedium, ſpontaneas ſcilicet corporis afflictationes, & pias de Paſſione Chriſti Meditationes confugit; ſed fruſtra. Cùm ecce poſt biduum, circa mediæ noctis horam, Andreas læto & exporrecto vultu, ei ſe conſpiciendum præbens, non modò abſterſit mœſtitiam, ſed tanto etiam gaudio delibutum reliquit, nunquam ut aliàs tantum ſpiritualis ſolatii perceperit. Ex hac viſione mirum quantùm profecerit Eduardus, quantaque indè hauſerit pietatis incrementa illicò patuit. Admonitus enim à felici illâ animâ de levioribus quibuſdam defectibus, quos in ſe ſeverus ſui cenſor vix animadverteret, rigidâ eas pœnitentiâ è veſtigio expiare conſtituit. Succeſsit mox tenerrimus erga JESUM, Beatam Virginem, Angelum Cuſtodem, & Sanctos Patronos ſuos, pietatis affectus: vocationis ſuæ, & Inſtituti Societatis ſumma æſtimatio: ardentiſsima denique in Deum & proximum charitas, quâ poſtea ad extremum

Digitized by Google

uſque ſpiritum ſine intermiſsione ullâ flagravit. Miſſus tandem in Angliam dum ea ageret, quæ nec unius Viri, nec paucorum annorum geſta videri poſſent, peſtis Londini horrendum in modum graſſata, heroïcæ ipſius virtuti ampliſſimum præbuit theatrum. Generoſo ille & intrepido animo Superioribus obtulit ſe in obſequium infectorum, ut eorum tam animæ, quàm corporis neceſſitatibus, quo maximè poſſet modo alacriter ſubveniret. Obtentâ facultate, tantâ celeritate Londinum tendit, ut uno die centum & quinquaginta paſſuum millia confecerit. Quod factum Rex adeò probavit, ut Pſeudo-Epiſcopis, ac Paſtoribus ſuis mercenariis, ſuæ ſaluti, derelicto grege, conſulentibus, id exprobrare non dubitaverit; palam denuncians, ſi populo meliùs non proſpicerent, fore ut omnibus in Angliâ Jeſuitis, ſuam erga ſubditos charitatem exercendi, facultatem concederet. Hic dum aliorum ſaluti ſe totum impendit, communi malo afflatus, præmium Apoſtolicæ charitatis felicem mortem retulit, die 27. Auguſti anno 1665.

Peſtilens inter milites Anglos morbus.

Vixdum deſævierat lues per Angliam, quin ei haud abſimilis, aut comitata aut ſecuta ſit Anglicanum Militem, qui, ad inſtaurandam veteranam illius gentis Legionem, in Belgium evocatus fuit. Soſpes mare trajecerat Miles: at dum diverſa per præſidia diſtributus, hoſtem avidè expectabat, extremâ rerum omnium inopiâ ſubitò conflictari cœpit: cui dum accederent peregrini aëris noxii influxus, graſſari peſtilentes morbi, & plures paucorum menſium ſpatio abſumere, quàm multis præliis hoſtilis gladius ſuſtuliſſet. Triſtis quidem rerum facies, ſi humana ſpectes: lætiſsima verò ſi Divinam Bonitatem brevi miſeriâ æternæ multorum felicitati proludentem conſideres. Eò ſanè tunc reſpexiſſe viſa eſt, ut novus Miles ex amplexu Patriæ avulſus, è Patriæ ſimul tenebris eriperetur; dumque varia oppreſſus calamitate, bellis impar redditur, in ſanctiorem Eccleſiæ Militiam tranſcriberetur.

Degebant eo tempore in Domo tertiæ Probationis Gandavi, è Collegio Anglo-Bavarico nuperrimè egreſsi Patres Tertiani, notæ

virtutis, ac præſertim charitatis Viri: quorum opem implorabant Gandavi, Brugis, & Ipris, plena ægrorum Noſocomia. Miſsi Ipras complures ubi contagio maximè ſæviebat. Qui Gandavi ſubſtitere adibant quotidie ægros, ac morientium lectis affixi, peſtilentem halitum, & emiſſum è putrefactis corporibus fœtorem, ore & naribus hauriebant. Pauci per vices in Collegio hæsêre, qui vel ſuccubituris in certamen ſuccederent, vel Domi Fidei rudimentis imbuerent quos nondum lues afflaverat. Dum ita ad opus, in ſuis ſinguli ſtationibus, incumberent, novus indies induſtriæ fructus exoritur, ſed non ſine magnâ noſtrorum clade. Ex omni enim Tertianorum numero, ne unicus quidem à lue penitùs immunis. Quatuor omninò egregios, & Cœlo jam maturos, placuit Divinæ Bonitati ad meritorum præmia evocare.

Cæteris ad Cœlum præivit P. Joſephus Simpſonus, Vir impiger laborum, & ad quævis obſtacula perrumpenda promptus, ubi Dei gloria ageretur. Parentes habuit honeſtos, ſed qui miſero Patriæ fato hæreſim amplexi, in eâdem filium erudierant. Ex his tenebris in Fidei lumen eductus, animarum zelo ardere cœpit, oculoque Societatem deſignabat, ut aptiſsimam exercendæ virtutis ſuæ palæſtram. Sed quid ageret litterarum rudis? Audomarum miſſus, pueros inter, maturâ jam ætate, prima Grammaticæ Rudimenta didicit. Pueriles jocos, & irridentium cachinnos contempſit: Sancti Ignatii exemplo rem ſuam certus agere, & Moderatorum animos morum integritate ſibi devincire, quo faciliùs per illos votorum metâ potiretur. Poſt ſtudia pari ibi pietate ac fructu abſoluta, Tyrocinium Wattenis ſimili virtutum apparatu exegit, magnoque progreſſu ſublimioris litteraturæ ſpatia Leodii emenſus eſt. Poſt explicata Matheſeos elementa, primò Gandavum, tum Inſulas deſtinatus, Præſidiario militi Anglo (dum Gallicæ copiæ eam Urbem obſidione cingerent) tam ſedulò adfuit, ut noctu etiam in extimâ Urbis loricâ excubans, nullam rei benè gerendæ occaſionem præterire ſineret. Deditâ Urbe Inſulenſi, oppidò laſſus de

P. Joſephus Simpſonus.

itinere, Ipras pervenit, nullâque datâ laboris intercapedine, ad Noſocomium divertens ægris diu noctuque aſtitit, quaſi perpetuus tetri, ut tunc erat, hoſpitii inquilinus, cujus tamen fœtorem dulcem reddidit lucri animarum odor. Hiſce charitatis officiis eam apud omnes æſtimationem ſibi conciliavit, ut humeris aliquando per Urbis vicos, ægra geſtantem corpora, ut Sanctum multi indigitarint: Angelum alii, non Anglum, paſſim appellarint. Dum ſemel aſſideret ægro, hic Cœleſtem, quo paſſus fuerat, panem nauſeante ſtomacho ejecit. Simpſonus: ſacram Hoſtiam unà cum ejectis ſordibus impiger deglutiit, repugnante quidem naturâ, ſed ſacri Boli dulcedine nauſeam omnem temperante. Dum hujuſmodi obſequiis intentus, omni prorſus quiete ſibi interdicit, ad æternam tandem quietem à Deo invitatus fuit. Afflatus enim lethali contagione piè deceſſit, Die 11. Octobris anno 1667.

P. Gulielmus Scroopus. Hujus veſtigia, ut in labore, ita morte proximus ſecutus eſt ad meritorum præmia P. Gulielmus Scroopus, aliàs & verè Hartus. Natus eſt anno huius ſæculi quadrageſimo, die 20. Martii, qui anniverſarius fuit glorioſi certaminis quo aſſertam olim ſub Elizabethâ Reginâ Catholicam Fidem, ſanguine ſuo confirmaverat D. Gulielmus Hartus Sacerdos, & Gulielmi noſtri Propatruus. A Parente ob Fidem exule Audomarum miſſus, undecim annorum puer cùm audiſſet eò impietatis devenire ſceleratos quoſdam, ut dæmoni ſe pro perituris opibus devoverent; piâ flagrans iracundiâ, velut læſum Dei honorem reparaturus, Chriſto ſe, & Beatiſsimæ ejus Matri, ſuo chyrographo conſecravit: ſchedulâ ſub domeſtico Partheniæ Sodalitatis Altari repoſitâ. Quam ſui oblationem ut gratiorem faceret, & firmiorem amicitiæ nodum texeret, perpetuæ caſtitatis voto adhuc ſe obſtrinxit. Poſt ſtudia, Wattenas ad Tyrocinium, & indè votis nuncupatis, Leodium miſſus, quanquam omni pietate conſpicuus, ad Sanctorum tamen cultum promovendum præcipuè intendebat. P. Gulielmo debet Leodium Beatorum Martyrum Primi & Fauſti ſacra Lipſana, Româ huc

delata

Digitized by Google

delata, & ſolenni ritu in Collegii Templo ad fidelium venerationem repoſita. Ipſe ea certè magno affectu excepta, dum vixit, colere non deſiit. De nullis libentiùs, quàm de ſuis, ut vocabat, Sanctis, miſcebat ſermones: ad eos in anguſtiis recurrebat, non majori fiduciâ, quàm ſucceſſu. Quid affectum in reliquos Sanctos memorem, illos præſertim qui Angliam ſuâ Sanctitate illuſtrârunt? Horum vitas non ſolùm ſedulò evolverat, ſed quicquid uſpiam extat de illis ſcriptum, ad privatam ſuam pietatem exſcripſerat. Aliorum ac præſertim S. XAVERII exemplo ad magna quæque anhelabat, ipſamque Indicam Expeditionem, poſt ſeriam trium annorum deliberationem jam petierat, cum laboris Indici compendium Domi minimè opinanti oblatum eſt. Ipras itaque ad ægrotantium levamen deſtinatus, mirâ alacritate ad provinciam, laboris, nauſeæ & periculi plenam, egregius ſui ac mortis contemptor properavit, diſertè pronuncians plateas mortuum priùs accepturas, quàm ipſe moribundo militi deeſſet. Neque aliter contigit. Mortuos enim in horas ferè ſingulas efferens, ipſe tandem morte obitâ elatus eſt, Die 15. Octobris.

Nec diu ſuperfuit P. Franciſcus Matthæi, vero nomine Matagon, quem eximius animi ardor ad animarum lucrum invitaverat. Leodii, ubi natales habuit, dum litteris Humanioribus vacaret, in noſtrorum ſenſim familiaritatem, & amicitiam ſe inſinuavit, admiſſuſque in Provinciam Anglicanam, conſuetis in Societate, ſive virtutis, ſive litterarum experimentis probatus fuit. In Angliam deindè miſſus, zelo incredibili arſit errantes in veritatis tramitem reducendi, quod ut meliùs efficeret Anglorum idioma ſibi familiare reddiderat. Planetæ inſtar, huc illuc diſcurrebat, ut ſibi ignoto, & peregrino, eò ſecuriùs conſcientiæ arcana peccatores aperirent. At dum ſingulos latere vult, fit omnibus notior, quàm ratio iſtorum temporum ferebat. Inde, cùm jam nullibi ſecurè degeret, coactus eſt ſolum vertere, & mentis ardorem Domus Wattenenſis & vicinorum Pagorum limitibus, per tempus aliquod *P. Franciſcus Mathæi.*

circumſcribere. Hic indefeſſum in Confeſſionibus excipiendis ſe exhibuit, cui & alium à Concionibus laborem adjecit, ſæpiùs in die, & quidem linguis diverſis ad populum verba facere ſolitus. Nec major foris zelus, quàm Domi exacta regularum obſervantia, in quâ inſigne Tyronibus exemplum præbuit, ſivè manè eorum fervori in ſurgendo prævertentem, ſivè in Templo Divina operantem, ſivè demùm in Triclinio infra omnes ſeſe demittentem cernerent. Dum hiſce charitatis ſimul & humilitatis officiis ſe exerceret, præter omnem ſpem & expectationem, juſſus eſt Ipras ſe ad ægros conferre. Hora erat tertia circiter pomeridiana. Mora nulla. Breviario ſolùm onuſtus ſe ad iter accinxit. Poſtridie veſperi Iprenſe Noſocomium ingreſſus, totum ſe in afflictorum, tam animæ quàm corporis ſalutem impendit, parique cum prioribus induſtriâ uſus, pari fato è vivis ſublatus eſt, Menſe Novembri, die octavâ, anno hujus ſæculi ſexageſimo-ſeptimo.

P. Carolus Parkerus. Triplici huic charitatis victimæ adjuncta eſt quarta, ſublato è vivis Gandavi P. Carolo Parkero. Vir erat Deo dilectus & hominibus, tum ob candidos mores, tum ob ſingulare ſtudium omnes Chriſtianâ charitate demerendi. Loco nobili in Angliâ natus, poſt ingenuam Domi educationem, in Audomarenſe Seminarium tranſmiſſus, probitate vitæ & optimi exempli luce, Conſodalibus ſuis ad virtutem præivit, toto quinquennio, quo litteris humanioribus vacavit. Decurſo poſtmodùm tyrocinio, ſtudiis altioribus adhibitus, ut nulli ceſſit ingenio, ita multos virtute ſuperabat: idque in eo obſervatum præcipuè, quod ſivè diſceret, ſivè doceret, majorem longè curam ad virtutem, quàm litteras afferret: neque alium ſtudiorum finem ſibi præfigeret, quàm Divinam in omnibus voluntatem. Deo ut arctius adhæreret, ipſique in perpetuum ſoli viveret, ſibi & mundo mortuus, tribus veluti clavis Cruci ſe affigi voluit cum Chriſto. Primus, (ut repertum eſt in ejus libello annotatum) erat indifferens ad quævis munia animus. Secundus, frequens meditatio. Tertius, ardens pro Chriſto patiendi

Digitized by Google

deſiderium : quod ut ſæpè aliàs, tum maximè augeri in ſe ſenſit, cùm feriâ quartâ Majoris Hebdomadæ, ſpiritualia de more exercitia obiret. Fuit is quintus Aprilis dies, qui ei trigeſimum jam annum inchoanti anniverſarius illuxerat, cùm ſeriò prætcritæ vitæ dies remetiens, ita apud ſe ſeverus ſui cenſor ſtatuit, eò ſe perfectionis, ne tum quidem attigiſſe, quò alii ſoleant unius horulæ ſpatio. Hinc generoſa naſci propoſita perfectius vitæ genus inchoandi. Flammâ hac conceptâ, ſurgit à meditatione, in quâ ſibi has leges fixerat. Prima erat non ſolùm defectus quoſvis vitare, verùm etiam ſequi quod judicaret perfectiſsimum. Secunda, nullam deinceps temporis jacturam facere. Tertia, pia mentis jacula, ut optimum pietatis nutriendæ pabulum, frequenter in Cœlum mittere. Quod ad primæ legis cuſtodiam ſpectat, auditus eſt frequenter dicere : ſi daretur optio, malle ſe perfectum in Purgatorii flammis degere, quàm in Cœlo tepidum. Ne qua autem temporis particula ſine fructu impenderetur, manè ſibi præfixit, quid horis ſubſecivis faciendum eſſet ; Preces item jaculatoriæ ei adeò frequentes erant, ut Divini Amoris ſcintillas, elevatis identidem ad Cœlum oculis, continuò ferè evibraret. His pietatis exercitiis eò perfectionis brevi tempore pervenit, ut ſtatuerit, accedente Superiorum facultate, votum concipere, vitam ſuam in contagioſorum ſalutem, omni datâ occaſione, exponendi. Piæ voluntati (nam voti vim negata facultas ſuſtulit) videtur annuiſſe Deus, qui eum, in ægrotantium obſequiis, feliciſſimâ morte defungi voluit. Poſtquam enim quatuor ferè menſium ſpatio, in diverſis Noſocomiis, Ipris, Brugis & Gandavi omne charitatis obſequium erga infectos exhibuiſſet, ipſe tandem, eadem contagione infectus, poſt breves, ſed acres morbi dolores, æquabili ſemper animo & patientiâ toleratos, ad laborum præmia invitatus, feliciter in Domino quievit Gandavi, Die 23. Decembris anno 1667.

Hæ ſunt quatuor illæ victimæ, quas in Anglorum Militum

obſequio immolavit hoc anno Charitas. Acceſſit & alia Scoto Militi debita, cujus ſubſidio Halenium Brabantiæ Oppidum ſubmiſſi è Collegio duo, ex quibus P. Robertus Albinus, morbo afflatus, octavo Decembris exceſſit è vivis, ab animi firmitate & cæteris Religioſi hominis virtutibus plurimùm laudatus. Alter è præcipuis modò noſtræ Provinciæ, poſt ſupremos Eccleſiæ ritus, mortis licet faucibus ſit ereptus, è morbo tamen ad hunc uſque diem perfectè non convaluit.

Hoc Provinciæ noſtræ damnum, magnò animarum lucro reſarcire placuit benigniſſimo Numini. Initâ enim ratione, compertum eſt quadrimeſtri ſpatio in ſola Urbe Gandenſi abjuratâ hæreſi, in Eccleſiæ gremium receptos eſſe per ſacrum Baptiſmatis Sacramentum viginti duos, per Sacram Exhomologeſim ſeptingentos viginti-ſex. His ſi adjungantur qui in aliis Urbibus Fidem amplexi ſunt, mille & ducenti, Dei gratiâ noſtrorum labores promovente, in ſalutis viam deducti fuêre. Cùmque ex universâ Legione ſupra mille vi morbi abſumerentur, paucisſimi obſtinato in hęreſi animo obierunt.

Neque defuêre Divinæ in miſeros milites Providentiæ argumenta planè ſingularia. Eorum unus, linguæ & ſenſuum uſu per aliquot dies deſtitutus, animam quamprimùm exhalaturus videbatur, cùm ad Patris cujuſdam præſentiam, quaſi è veterno excitatus, doloris ſigna, recuperatâ ſenſim loquendi facultate, piè edidit, & pronunciato JESU Nomine, admitti in Eccleſiam poſtulavit: votique compos factus, vivere quamprimùm deſiit. Alii duo, peccatorum ſordes ſacro Baptiſmatis lavacro vix abſterſerant, cùm ad Immaculati Agni nuptias, candidâ jam veſte, uti ſperamus, admiſſi ſunt. Sed ut varia ſunt hominum, & non rarò in malo obfirmata ingenia, alios aliis artibus adorti ſunt periti animarum Medici. Hos enim inferorum metu, illos ſpe æternæ felicitatis, alios argumentorum pondere, nunc ſuaviter, nunc fortiter in amplexum Fidei rapuêre. Erat qui omnibus reſiſtens telis, imploratâ Angeli Tutelaris ope, confeſtim manus dedit,

Digitized by Google

Alius animo obſtinato vergens ad extrema, cum nullis ſuccumberet argumentis, ad abeuntis Patris extremum vale uſque dum coram Supremi Judicis Tribunali, æternis adjudicandum flammis cerneret, quaſi ictus fulmine evigilavit, atque à Patre, quem revocandum curaverat, veniâ poſtulatâ, actâque, magno doloris ſenſu, peccatorum pœnitentiâ placidiſſimè obiit. Quidam exulceratæ conſcientiæ lanienâ, (urgente etiam ſuis præſtigiis Dæmone) eò adductus fuerat, ut de gradibus aut feneſtrâ præcipitem ſe acturus crederetur: neque deſiit iis ſtimulis perurgeri, donec in Eccleſiæ gremium, ceu arcem tutiſsimam, per ſacram Exhomologeſim reciperetur. Quamplurimis aliis à Sacrâ Confeſsione, tanta ſubitò mentis exorta ſerenitas, ut in voces erumperent lætitiæ indices, imparesque ſe faterentur, qui exundantis gaudii copiam verbis exprimerent: auditique ſunt dicere, corpore quidem peſsimè, animo autem per Dei gratiam, valere ſe quàm optimè. Tantum erat vocantem ſequi Deum, eique animorum remedia ſuggerenti obtemperare.

Hæc è multis pauca ſed manifeſta Providentiæ indicia, erga novellas animas, quas Deo in Chriſto genuerant Patres, quorum eximia charitas, aſsidua induſtria, & indefeſſus labor, ita omnium animos movit, ut etiam Duces Acatholici, quibus Jeſuitæ nomen odio fuerat, ultrò jam faterentur deceptos ſe, alioſque longè Societatis Patres eſſe, quàm qui in Angliâ paſsim depinguntur. Ipſe militum Tribunus, Comes de Caſtlehaven quot Patres circa ægros vidit, tot Xaverios dixit. Imò ipſis etiam ægris adeò erant noſtri in deliciis, ut eorum aliqui hæredes illos ex aſſe ſcribere, aut certè, quam habebant pecuniam, illos inter & pauperes, partiri ſe velle dixerint. At animarum ſalus unica, erat merces quam ſpectabant Patres, nec aliam admittebant, illam rati ampliſsimam. Hocque omnibus videbatur mirum, Patres nullo ſuo commodo, imò ſummo diſcrimine, aliorum ſaluti, poſthabitâ ſuâ, proſpexiſſe eo ardore, ut etiam ipſi ægri, cùm ſibi potiſsimum conſulendum eſſet, ab ægrorum curâ, cui ſe unicè impendebant, non niſi juſsi abſtinuerint.

Digitized by Google

Nonnulli Carcerum miſeriis enecti in Perſecutione ; ſub annum hujus ſæculi quadrageſimum exortâ.

Catholici in Angliâ perſecutioni ſemper obnoxii.

IN cæteris, ex quo Hæreſi manus dedit, miſerè inconſtans Anglia, in hoc ſibi ſemper conſtitit, ut idem Orthodoxos perſequendi teneret propoſitum. Varius quamvis in illâ fuerit pro temporum varietate Religionis ac Regiminis Status, Catholicis tamen ſemper ſors eadem obvenit, quam nullo modo mutare, niſi in deterius licuit. Senſerant hi jam ſexaginta annorum ſpatio, ſub ELIZABETHA & JACOBO Regibus continuam legum cruentarum ſeveritatem; fœdiſsimiſque ſepulti ergaſtulis, Proteſtantium experti fuerant ſævitiam; cùm, ſopitâ pauliſper ſub CAROLO I. perſecutione, cœperunt reſpirare, & ex præſenti rerum ſerenitate mitiora tempora augurari. Sed, ut plerumque in mari fraudulento eſt inſidioſa tranquillitas, repentè in ipſo quaſi portu ſpes eorum omnes evanuêre. Impii Calviniſtæ, quibus in Angliâ Presbyterianorum nomen vulgus impoſuit, ipſius Regis per ſummum nefas abſciſſo capite, rerum ſummâ potiti, ſuſque deque omnia egerunt: & mutato tam Religionis quàm Regiminis antiqui ſtatu, civili incendio & tumultu Patriam miſerè dilacerârunt. Et quamvis

Presbyteranis dominãtibus,

Digitized by Google

non ſolis Catholicis hæc rerum mutatio fatalis & luctuoſa extiterit; hi tamen, veluti duplicis convicti criminis, Fidei nimirùm & Deo, & Regi præſtitæ, præ reliquis cruentam hoſtium inclementiam experti ſunt. In Orthodoxos undique ſævitum eſt, tum à plebe inteſtinis odiis exacerbatâ, tum à furenti milite; omnibus in excidium Romanæ Fidei ex æquo conſpirantibus. Quotquot paſsim per Angliam reperiebantur tetri carceres & ſpecus infames, ſceleratiſsimis quibuſque, & ultima ſupplicia promeritis deſtinati, innocuis Catholicorum agminibus ad unum omnes repleti ſunt; cumque hi illis excipiendis minimè ſufficerent, pars eorum non exigua conjecta eſt in naves, quæ in Thameſis alveo conſtitutæ, carcerum loco Hæreticorum crudelitati ſerviebant. Multæ Familiæ, eæque Nobiles, direptis combuſtiſque ædibus, nudo ſolo cubare, & in ſylvis, quod negabant Presbyterani, præſidium vitæ & tutamen quærere coactæ ſunt. Multi Patriam exilio perpetuo commutârunt. Alii, bonis omnibus exuti, vagi & miſeri, Angliam pererrarunt, ærumnoſæ vitæ, omni quo poterant modo, conſulentes. Hac in Catholicos univerſim ſeveritate, majore adhuc in Sacerdotes ſævitum eſt. Si quem ab Epiſcopo Catholico ſacros Ordines ſuſcepiſſe conſtaret, ſententiâ Judicis, debita reis læſæ Majeſtatis ſupplicia luebat. His nullæ latebræ tutæ, quod nulli quantumvis obſcuriſsimi receſſus ſagacem inimicorum fallerent induſtriam. Inter eos qui in hac perſecutione fortiſsimè decertârunt, Patres Societatis noſtræ non minimas partes habuêre, ſivè in apertâ acie pro Fide occubentium, ſivè in ergaſtulis miſeriis immorientium numerum ſpectemus. Nullus ferè per Provinvincias celebrior carcer Sociis noſtris caruit. Leviſsimis indiciis capti, atque arctiſsimâ cuſtodiâ, uno aliqui, pluribus alii, nonnulli ipſis quindecim annis detenti ſunt. Quæ ſinguli in hoc certamine tormenta ſubierint; quotque Societati pepererit hæc procella glorioſos Fidei Athletas, enumerare non patitur præſcripta brevitas. Munificentia Bavarica plures habuit ex ſuis alumnis in

Omnes ſed præſertim Catholici gravia paſsi:

& maximè Sacerdotes,

& Patres Societatis.

Digitized by Google

hoc prælio victores, quàm qui hîc in medium commodè afferri poſſint: Quotquot ex ipſis poſt multorum annorum carceres & miſerias ſuperfuêre, conſultò omittimus; de iis tantùm dicturi, qui in ipſis carcerum anguſtiis lentâ morte confecti, indè in libertatem Filiorum Dei feliciter evolârunt.

P. Chriſtophorus Bertonius.

Horum è numero primus ſe offert P. Briantus Cansfeildus, adſcititio Chriſtophori Bertonii nomine, quàm ſuo notior. Hujus omnis in Societate vita, Martyrii tyrocinium quoddam videri poſſit; adeò aſperè dicam ac crudeliter? corpus ſuum, ergaſtuli ærumnis quaſi præludendo, exercebat. Deliciæ ejus unicæ erant, quaſcunque ſenſibus delicias ſubſtrahere, & in duriſsimam ſervitutem corpus redigendo, veram animi libertatem acquirere. Hoc ſui affligendi indefeſſo ſtudio, brevi tempore effectum eſt, ut anima carnis ſolutior vinculis, conſtantius Deo adhæreret, & media inter vitæ pericula, timoris expers, deliciis cœleſtibus abundaret. Lucro ea & voluptati apponere ſolebat, quæ miſeriis ſuis alii annumerant; proprio doctus experimento, non minùs dulce quàm decorum eſſe, pro Nomine JESU magna agere & pati. Gliſcens eo tempore perſecutio, ardentiſsimum ipſius pro Chriſto moriendi deſiderium acuebat, & animarum in tanto diſcrimine periclitantium neceſsitas indefeſſam indies augebat induſtriam. Vacillantes in Fide ſtabilire, errantes revocare, Hæreticos ad Chriſti caulam aggregare, etiam cum proprii capitis periculo, quotidiani illi erant multorum annorum conatus. Dum autem hos inter labores, de alienâ magis ſalute, quàm de ſuâ incolumitate ſollicitus, fidelis operarii munia obiret, improvisò in Hæreticorum manus incidit; ſic nimirùm diſponente Divinâ Bonitate (quæ ipſum tamdiu hoſtium inſidiis ereptum, Catholicorum ſolatio & utilitati conſervârat) ut ſanctitatem vitæ coronaret morte adhuc ſanctiore. Sui itaque ſecurus Divinam ad Altare Hoſtiam immolabat, cùm ſubitò ab irruentibus Apparitoribus comprehenſus, Calviniſtarum furori ceſſit præda, à quibus ſacro, quo indutus erat, amictu,

amictu, per media ſubſannantis populi ludibria ad Judicem raptus, Ducem ſuum JESUM ab Herode albis veſtitum, omniumque riſui expoſitum pulchrè repræſentavit; ejuſque in Judæorum ſcommatis ac blaſphemiis perferendis patientiam ſummâ animi alacritate imitatus eſt. Pro tribunali verberibus & conviтiis exceptus, inde in fœdum conjectus eſt ergaſtulum, cujus graveolentiâ & moleſtiis fractus, deficientibus tandem viribus, animam feliciter exhalavit, Anno ſalutis 1645.

Altero poſt felicem P. Bertonii obitum anno, Mancaſtriæ in Comitatu Lancaſtrenſi, carceris illuvie & incommodis confectus, exceſſit è vivis P. Richardus Bradlæus. Fuit hic animi ingentis Vir, zeli & virtutis, ſi quis alius; ſingularis. Qualis futurus eſſet aliquando in Angliâ, dum militi in caſtris Belgicis à Confeſsionibus eſſet, præclara dedit indicia. Amplam ibi occaſionem nactus, ſuam in Deum & proximum charitatem exercendi, omnes prudentis Confeſsarii, & Viri verè Apoſtolici partes perfectiſsimè explevit. In omnem paratus eventum, animas Deo lucrifaciendi opportunitatem nullam prætermiſit. Videre aliquando erat in præſentiſsimo vitæ diſcrimine, militares ordines percurrentem, prætensâ manu Cruce, pugnantium animos piis adhortationibus confirmare, & morientes animare ad beatam æternitatem. Gratam Cœlo fuiſſe Patris induſtriam, non dubia ſigna docuêre. Dum intrepidus aliquando media inter mortis pericula, conſueta illa charitatis munia obiret, caput ei galeâ operuit, qui aſtabat, miles: quod non ſine peculiari Dei erga Patrem Providentiâ factum, eventus comprobavit; illicò enim glans plumbea ex hoſtili catapultâ emiſſa, ſummo impetu impegit in galeam; cerebrum ei ſine dubio excuſſura, niſi ferreum hoc tegumentum Divina Bonitas interpoſuiſſet. Nihilo minores ejus animos Britannia noſtra experta eſt, quibus utique difficillima, quibuſcum luctabatur, tempora, carcerum & mortis imminens periculum, quæque piis ejus deſideriis & conatibus indeſinenter occurrebant obſtacula, quâdam veluti

P. Richardus Bradlæus

antiperiſtaſi, novas vires afferebant. In Provincias à Senatu miſſi Exploratores, excubias agebant in viis, ædiumque ſuſpectarum aditus obſidebant, magno Patris dolore, quod charitatem ſuam unius plerumque tecti anguſtiis definire cogeretur. Non deſtitit tamen noctis uſus beneficio, verus Piſcator hominum, in tenebris retia laxare; mœſtos, quos licuit, Catholicos convenire, & ad læto animo adverſa omnia pro Chriſto perferenda, tum verbo, tum exemplo excitare. Etſi verò nullam non adhiberet induſtriam, ut inſequentium Apparitorum conatus eluderet, ab ipſis tandem comprehenſus eſt, & in arctiſſimam datus cuſtodiam, undè nemini niſi ad extremum ſupplicium patebat exitus. Hîc dum fatalem Judicis ſententiam piâ quâdam aviditate expectat, gravis eum morbus, ex loci inſalubritate corripit, quo indies vehementiùs ingraveſcente, deſtinata tandem ſupplicia, diuque expetitas carnificum manus moriendo evadit.

P. Joannes Feltonus. Eodem anno & menſe P. Joannes Feltonus laborioſiſſimam vitam perſimili clauſit exitu. Nullum non movebant lapidem ſagaces Senatûs Emiſſarii, ut latentes paſſim per Angliam Sacerdotes detegerent, in vincula mox conjiciendos & certâ morte mulctandos. Nulli latebræ profuêre & receſſus abſconditi; nulli ementitæ veſtes, & ſimulatus ruſtici aut militis habitus. Hiſce dum in anguſtiis verſatur P. Joannes Feltonus, vitæ ſuæ prodigus, quàm alienæ ſalutis negligens, videri maluit. Agricolam igitur mentitus, Lincolniam arctiſſimâ militum cuſtodiâ munitam petiit, ſpe P. Joannem Huddum, proximis, ut putabatur, comitiis plectendum inviſendi: Decidit tamē expectatione, cuſtodum vigilantiâ omnem illi ad carceres aditum præcludente. Noluit verò Divina Bonitas tantam præmio carere charitatem. In ipſo Urbis egreſſu, ab Excubitoribus pro libidine quoſque ſiſtentibus, comprehenſus, & de Sacerdotio ſuſpectus, parem cum P. Huddo ſortem habere meruit. Poſt ſummam rerum inopiam Lincolniæ aliquot ſeptimanis toleratam, in aliam extra Urbem cuſtodiam deductus eſt; ubi frigidâ anni tempeſtate, totos tres menſes

Digitized by Google

in loco ventis pervio, omnis auxilii, fomenti, & ſolatii expers traduxit. Graviùs autem ipſius animum blaſphemiæ, maledicta, & mores perditi ſceleratorum hominum qui eodem carcere detinebantur, quàm reliqua loci incommoda afflixêre. Septimus illi has inter anguſtias menſis tranſierat, cùm nullo contra ipſum prolato indicio, nullo teſte comparente, pecuniis piorum hominum charitate collectis, libertatem redemit: cui tamen reſtitutæ, labefactatâ malis præteritis valetudine, vix uno menſe ſupervixit. Huius ſanè zelum, & Fidei ſeu conſervandæ, ſeu propagandæ, ſingulare deſiderium, inter alia & hoc maximè commendat, quod memor dicti illius Apoſtolici, *Inſta opportunè, importunè*, viginti-ſeptem annorum ſpatio, nullo unquam die Dominico aut Feſto Doctrinam Chriſtianam fidelibus explicare, eorumque animos ad virtutis ſtudium accendere prætermiſerit.



Quatuor in eâdem, ſub rebelli Senatu, perſecutione, ob Fidem violentâ morte ſublati.

P. THOMAS HOLLANDUS.

SATIS laudaſſe P. Thomam Hollandum videri poſſumus, ſi illud modò dixerimus, vivum mortuumque laudatum ultrò ab inimicis. Nimirùm eximiæ virtutis id proprium eſt, ut adverſarios vel invitos, laudum ſuarum præcones faciat. Undè de Thomâ noſtro plurium Hæreticorum ea vox audita eſt : Virum ſe, majore quàm illum vitæ morumque integritate, reperiſſe neminem : & verò, ſi illius ſimiles eſſent reliqui Jeſuitæ omnes, non videre ſe quomodò eos jure calumnietur invidia. Judex eâdem quâ Patrem condemnavit voce, omni, quod ad mores attineret, abſolutum culpâ palam pronunciavit. Magna ſanè præconia! ſed major virtus quæ illa ab hoſtibus extorſit. Quibus autem gradibus ad eam aſcenderit Hollandus, ſic breviter accipite. Prima ferè Chriſtianæ perfectionis rudimenta, Audomari, quò ſtudiorum causâ admodùm Adoleſcens ex Anglia tranſmiſit, in Partheniâ Sodalitate, brevi tempore ita perdidicit, ut

Digitized by Google

non ſemel communibus votis, cæteris Sodalibus præeſſe juberetur. Et præfuit ille vero, exemplo magis quàm titulo; in omni domeſticâ diſciplinâ, (ſivè quæ doctrinam, ſivè quæ virtutem ſpectaret) cæteris Authorem ſe, ac Principem præbens. Nominatim autem præcipuam quandam ponebat curam in familiaribus colloquiis de Divinis rebus inſtituendis, iisque, ubi aliò dilaberentur, ad ſanctiora argumenta revocandis. Quæ ejus pia ſolertia ita deinceps crevit, ut non defuerint ſæculares homines, qui illum propterea ex rebus ſpiritualibus quaſi conflatum, aut etiam *Pietatis Bibliothecam* dicerent. Illud verò in id ætatis Juvene ſingulare prorſus fuit, certos ſibi comparare ſocios, qui condicto die, veſpertinæ relaxationis tempore, de mutuis invicem culpis amicè commonerent. His in umbrâ Marianâ virtutum quaſi velitationibus, futurarum olim in Sole ac pulvere Societatis JESU victoriarum non vana dedit auguria. Ubi itaque ad Chriſtianam Militiam virtus cum ætate maturuerat, ſub Duce IGNATIO in Imperatoris IESU Societate militare voluit; quàm pium hactenùs Matris Sodalem, tam fortem poſtmodùm Filii Socium ac Militem ſe probaturus. Peracto Wattenis Tyrocinio, poſtquam inter domeſticos parietes, Leodii, inquam, & Gandavi Miniſtrum agendo, optimique Superioris, & ſtrenui Subditi, omnes partes explendo, non vulgaris virtutis ſpecimen dediſſet, in Angliam, in apertum campum bella Domini præliaturus deſcendit. Ibi quæ prima certamen iniit, prima triumphavit Pugilis patientia. Etenim cùm ob perſecutionis acerbitatem, omnem liberioris auræ, ſolisque per diem uſuram propemodum intercluſam haberet, ſummo ferè manè veſperique ad Catholicorum opem excurrere ſolebat. Hanc vitæ rationem ingenti animarum lucro, parique ſuo merito, patientiâ certè in affecto corpore prorſus ſingulari, toto ſeptennio tenuit. Sed gravi indè ſubſecutâ ciborum nauſeâ, ac ſomno penè nullo aut frequenter interrupto, ſuâpte ſponte languidior valetudo, ita denique proſtrata eſt, ut ultrò quamprimùm è vivis diſceſſurus videretur, niſi ſagax exploratorum indu-

ſtria vim morbi antevertiſſet. Comprehenſus itaque ab Apparitoribus anno ſalutis milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo ſecundo in ſuburbanam Londini cuſtodiam detruſus eſt. Vix carcerem fuerat ingreſſus, cùm arrepto protinùs calamo, ſcripſit ad Superiores litteras, id unum vehementiùs ab eis contendens, ne qui pro ſe liberando ſumptus fierent, nevè cujuſvis interponeretur authoritas. Qua in re, uter palmam tulerit, Paupertatis amor, an ſui ipſius contemptus, haúd facilè dixeris: illud conſtat, principem erga Deum charitatem potiſsimùm eluxiſſe. Duos omninò menſes in carcere egit, eâ vivendi ratione, quæ illi eximiæ ſanctitatis opinionem etiam apud hæreticos conciliavit. Rarus illi ad quietem lecti uſus, quippè qui totas ferè noctes orationi, rebusque divinis commentandis dabat: reliquo tempore, neceſſariæ quieti, quam in cathedrâ captabat, conceſſo. Diurnas horas ita partitus eſt, ut & amicis (qui frequentes ventitabant) conſiliis, piisque ſermonibus ne deeſſet, & tamen ſui identidem colligendi, divinisque cum Deo colloquiis juſtum concederetur tempus. Sic nimirùm ad ſupremum certamen comparabat ſeſe egregius Pugil. Vocatus in judicium, ob meram Sacerdotii ſuſpicionem, patibulo condemnatur. Lætus hîc Pater, primùm in ipsâ Curiâ, *Deo gratias*, mox in carcere cum Sociis captivis *Te Deum laudamus* cygneâ voce ſuccinuit. Quàm porrò pro Chriſto mori geſtiret, aliâ illâ voce oſtendit, cùm proximâ ante mortem veſperâ, vocatus ad cœnam ab amicis, præter unicum ovum vinique pauxillum, aliud quidquam libare non ſuſtinuit, quod ipſum ideò tantùm ſibi indulgendum cenſuit, *quo*, ut aiebat, *ſibi plus inde ſanguinis in venis accreſceret, Dei causâ ſequenti die effundendi* Prætereo hìc brevitatis ſtudio ſupremam ejus ad populum concionem, ardentiſsimis, ſi unquam aliàs, Fidei, Spei, Charitatis, cæterarumque virtutum, quæ Catholicum Sacerdotem, atque JESU Socium morientem deceant, affectibus pleniſsimam. Illud reſtat ut ultimum ejus vitæ actum, mortem, inquam, exhibeam. Diverſam

Digitized by Google

diverſis in locis perſonam egerat, ſed eâdem omnes conſtantiâ: neque hic diſſimilis ſibi, Chriſto Domino certè pro cujus Fide animam jamjam poſiturus erat, ſimillimus. Incubuit nihil reluctans, ſuæ affigendus Cruci Chriſtus: trahæ Pater placidè incubuit, ad ſuam & ipſe raptandus Calvariam. Chriſtus duos inter latrones medius pependit; Hollandus totidem fures necis ſocios habuit. Chriſtus demùm moriturus, æternum Patrem orabat ut carnificibus ſuis ignoſceret; Hollandus ſuis pariter accuſatoribus, aliiſque ſuæ necis authoribus veniam à Deo humillimè poſtulavit. Fuit itaque ut in vitâ, ita & in morte præclarus IESU Socius & Imitator, utrobique tanto Magiſtro dignus Diſcipulus. Et quid mirum ſi morientium ſimilitudo non abſimiles habuerit animorum motus. Chriſti Mors Divinitatis ipſius confeſsionem à Centurione aliiſque extorſit. Thomæ exitus, pendentiſque ſpecies, virtutum ejus præconia ab hæreticis expreſſit. Carceris enim Cuſtos præſectum à reliquo corpore Patris caput manibus in altum attollens: Videte, inquit, guttur illud ex quo tot egregia verba profluxerunt. Quando hujus ſimilem quempiam, Religionis noſtræ hominem dabitur intueri, qui tot illuſtria virtutum documenta auribus noſtris oculiſque exhibeat? Ipſe porrò Doctrinæ Calvinianæ Miniſter liquidò coram totâ multitudine faſſus eſt, ſe Thomæ mores, geſtus, & facta omnia tam in carcere quàm in viâ ad ſupplicii locum, accuratè obſervaſſe, nec omninò notaſſe quidquam quod virum verè generoſum non deceret. Quanta verò apud Catholicos hujus Viri veneratio fuerit, vel ex eo conſtat, quod in frequentiſſima illa Proteſtantium corona, etiam tum cùm immaniter ſæviret Hæreſis, inventi plurimi ſint qui periculorum obliti, memores pietatis, via vi factâ, ad ejus reliquias colligendas, per confertiſſimos hæreticos penetrarunt. Apud nos Leodii etiamnum habentur eæ Patris veſtes, quibus piâ ſimulatione, ad proximum meliùs juvandum, bajuli ſpecimen præ ſe tulit. Nobilis Catholici donum, qui eas,

licet vix denis venirent, triginta florenis (& parvi quidem ut æſtimabat) pro ſuâ erga Patrem reverentiâ, ab Hæreticis redemit.

P. RODULPHUS CORBÆUS.

Vitam pro Chriſto aliquando poſiturum, priùs prò Chriſto pati, quàm mundo vivere, P. Rodulphum decuit, Matre pro Religione exule natum. Et verò rara vel in puero verborum parcitas, ingenuus morum candor, ſingularis denique in Deum, Deique adeò Matrem pietas, Cœlo non mundo natum docuerunt. Tenellam igitur plantam, ne qua peſtilens mundi aura inficeret, provida Parentum cura, in Audomarenſe Anglorum Seminarium maturè tranſtulit. Hic enimverò Adoleſcens totus in litteras pariter ac pietatem incumbere. Ab omni vel leviſsimâ obtrectationis ſpecie (quæ ejus propria laus familiarium ſermonibus celebrata eſt) omninò abhorrebat. Veritatis in paucis ſtudioſus erat, à jurgiis maximè alienus. Hinc ſicut induci ſe haud unquam eſt paſſus, ut vel leviuſculè mentiretur; ita ſi qua fortè, ut fit, incidiſſet lis, altercandi minimè cupidus, manus his ferè verbis ultrò dabat: *Ergo ita eſto, neque plura hac ſuper re verba fiant.* Dura porrò pro Deo patiendi propè innatus puero ardor, in eam cum ætate adolevit flammam, quæ non niſi ſanguine olim reſtinguenda foret: Unò verbo, quos doctrinâ adæquavit, virtute condiſcipulos facilè ſuperavit omnes. Mundi ſuique jamdudum victori difficile non fuit ad Evangelicam perfectionem vocantem Deum ſequi. In JESU itaque militiam adſcriptus, eâ humilitate, & ſui-ipſius abjectione enituit, ut ſibi uni ſervus inutilis videretur. Præclarum ſanè quidem vitæ Religioſæ fundamentum. Addita huic cognata virtus, corporis caſtigatio: eaque tanta, ut niſi Moderatoris inhibuiſſet prudentia, innocens corpus nimiâ aſperitate tractando, jam tunc Carnificis manum quaſi præveniſſet.

Theologiæ

Digitized by Google

Theologiæ curſu Leodii in Bavarico Anglorum Collegio feliciter confecto, Patriam repetiit; non alium ibi depoſcens laboris campum, quàm qui maximam laborum ac ærumnarum meſſem promitteret; id quod ipſi ex voto ceſsit, cum pauperibus & tenuioris ſortis Catholicis evangelizandi Provinciam ſortitus eſt. Hos ille potiſsimâ curâ conſolari, his omni ope adeſſe, horum tuguria intempeſtâ plerumque nocte (quæ tunc erat temporum iniquitas) pedes, ſine penulâ, contemptiſſimo amictu luſtrare: hoſpitio, victuque uſus, qualia apud infimæ ſortis homines. Membra interim ſpontè inter continuos propè morbos, doloresque in mortem labentia, ſpontaneis carnis macerationibus urgebat: *Ruinam corporis, ſpiritus ædificationem dicere ſolitus.* Tandem poſt duodecim annorum labores verè Apoſtolicos (ejus certè Regionis Apoſtolus jam vulgò audiebat) dum incruentum Miſſæ Sacrificium Deo offerret, ipſe brevi victima futurus ab Hæreticis Apparitoribus jam diu quæſitus, deprehenſus tandem, atque ultrò ſe Sacerdotem faſſus, eundemque Jeſuitam (quo non majus in Angliâ crimen) in carcerem conjectus eſt. Hîc ſibi oblatum à Cæſareæ Majeſtatis Oratore libertatis, vitæque beneficium in Collegam Sacerdotem, charitate verè Chriſtianâ, transferre voluit: quod cùm recuſaret ille, Chriſtianâ fortitudine dignum certamen inter fortiſſimos Pugiles ortum eſt, uter utri vitâ cederet. Piam litem mortis ſententia in utrumque lata non tam diremit, quàm coronavit, utrique vitam largiendo immortalem. Suſpenſus itaque Rodulphus ſummo amoris actu in Deum, obſignavit charitatem ſuam erga proximum. Atque jam felix in Cœlo, ut ſpes eſt, Pater, efficaciùs praſtat, quod in terris fecerat, & in Cœlo facturum ſe moriturus promiſerat, pro Domo Bavaricâ, cujus fuerat aliquando Alumnus, ſe perpetuum apud Deum deprecatorem exhibendo.

P. HENRICUS MORS.

Virum in Henrico damus, qui, ſi quis alius verè cum Apoſtolo glorietur, *In laboribus plurimis, in carceribus abundantiùs, in mortibus frequenter*. Quinies Patriâ, Fidei causâ exul fuit, ſemel pro acquirendâ (Hæreticis enim erat oriundus parentibus) iterùm, ac ſæpiùs pro eâdem defendendâ; ter peſtiferam luem dum ſe aliis curandis impendit, ipſe contraxit; quater & eò ampliùs carceribus incluſus, crebrò ad Judicum ſubſellia raptus: libertatem & vitam pecuniâ ſæpè, ſæpiùs exilio redemit, tandemque cum glorioſâ morte commutavit. Animo erat ad ardua quæque promptiſsimo, charitatis pleno, zelo animarum flagrantiſsimo: uno verbo, nullâ non virtute, quæ bonum Chriſti Operarium deceat, non inſtructo. E multis, paucas breviter accipe. Inventâ foris, quàm domi fruſtra quæſierat, pretioſâ Fidei margaritâ, in Patriam reverſus eſt, pretioſis eam mercibus, ſua ſi bona noſset, ditaturus. At illa, quippè cui ab hæreſi caligabant oculi, Fidei ſplendorem vel non videns, vel non ferens, extinguere certè perfido, fidelitatis ut vocant, Sacramento nequicquam conata, carcere primùm, mox exilio Juvenem, unàque Fidem mulctat. Exulem pro Fide Romanâ Filium Roma materno excepit ſinu; litteriſque ac pietate, nec non Sacerdotio initiatum in Angliam denuò remiſit, iterùm carceres pro hoſpitio, pro Patriâ exilium habiturum. Impetrarat Româ diſcedens à Patre Noſtro Generali ut in Societatem admitteretur: & ecce vix Angliam ingreſſus, nobile virtutis ſuæ tyrocinium, carcerem nactus eſt: nec defuit tyroni, ſimul cum illo captus, ejuſdem Societatis exercitatiſsimus Magiſter. Quidni bonum ſperemus militem, ſub tali Duce, tali in palæſtrâ, tanto tempore, tribus ſcilicet & ampliùs annis exercitatum? Futuris certè victoriis egregiè jam tum prælusit: toto enim temporis ſpatio quo in carcere fuit, vix unus illic maleficorum è vivis abiit, quem

Digitized by Google

ante mortem ad Chriſti partes non traduxerit. Haud paulò difficilius illi fuit cum morte certamen: ſiquidem triennalis cuſtodiæ incommodis ita erat afflictâ valetudine, ita fractis ac debilitatis viribus, ut non vultu minùs quàm nomine *mortem* præferret. Hominum peſte infectorum curæ, totum ſe ſæpiusque devovit, magno patientiæ ſuæ, nec minore animarum lucro: Complures enim ab hæreſi converſos, ad Cœlum, ut ſpes eſt, ſibi Martyrii coronam exoraturos præmiſit. Dum ita ſui quàm aliorum negligentior, miſerorum animis, corporibusque curandis totus vacat, tetram ipſe contagionem intimis viſceribus concipit, idque jam iterùm ac tertiò: hæroïcæ in proximos charitatis exemplo, haud facilè exæquando. Huic in alios amori, haud multùm ceſſit ejuſdem erga Superiores Obedientia; quam illo contraxerat, hâc certè peſtem expulit. Etenim in periculo mortis conſtituto, tertiùm hauſtâ contagione, adferuntur Superiorum litteræ, quibus jubetur ſuam tantiſper valetudinem, omiſsâ alienâ, curare. Has ille dum legit, ecce tibi derepente ita ſe præſentis mortis diſcrimine liberatum ſenſit, ut brevi adhibitâ curatione, deſperata priùs à Medicis ſanitas, integra reſtitueretur. *Adeò obtemperare didicerat ut morbos obedientiæ imperio fugare noſſet.* Quod ad domeſticam Religioſæ vitæ diſciplinam attinet, fuit Henricus illius ſemper obſervantiſsimus. Wattenis enimverò in primæ Probationis Domo, & Leodii in Bavarico Anglorum Collegio Miniſtrum agens, Regularum noſtrarum, Superiorumque placita non exigebat ab aliis diligentiùs, quàm ſervabat ipſe accuratiùs.

Incredibilem autem illius in rebus arduis patientiam, ipſi carceres, exilia, labores, vita denique tota in perpetuis propè itinerum, vinculorum, morborumque incommodis traducta, apertè loquitur. Matura jam Cœlo Viri virtus videri poterat. Domi, foriſque egregium Hominis Religioſi exemplum præbuerat; dum Caſtra militum Confeſſarius ſequeretur, ſibi *Sancti Patris* nomen, apud Legionis Tribunum meruerat: Angliam, Romam, Bel-

gium virtutis ſuæ radiis jam antea illuſtraverat: cùm ecce in Angliam revocatur, non indè rediturus; jamque quintùm ab exilio redux, pro hoſpitio, conſuetos carceres; pro meritâ tot laboribus torque, laqueum; pro vitæ prorogandæ ſubſidio, mortem ab ingratâ Patriâ recepit: in hoc pleriſque felicior, quod Sacerdotii tantùm reus, Religionem mortis cauſam agnoſceret clariùs. Et verò hanc pro Chriſto moriendi gratiam, quanti fecerit, incredibilis lætitiæ ſignis ex ipſo vultu, nuſquam aliàs lætiore, promicantibus oſtendit. Ubi autem ad ſupplicii locum ventum eſt, converſo in pulpitum patibulo, ac reſte ad collum pendente, tum verbis, tum exemplo ſuaſit circumſtantibus veram Fidem. Paſſus eſt Londini Anno ſalutis 1645. ſuſpenſus de more & diſſectus.

P. PETRUS WRITUS.

Qui Patrem Petrum Writum hæreſeos, ſæculique fluctibus variè jactatum contemplatus fuerit, Petri naviculam jamjam mari obruendam animo conceperit. Qui illum Fidei jam adjunctum, ætatis anno vigeſimo-ſecundo, ad infima litterarum ſtudia Gandavi ſe demittentem conſideraverit, Ignatii utentem conſiliis, Ignatii adjungendum Sequacibns non malè fuerit vaticinatus. Denique qui eundem Wattenis, præfervidi licet ingenii, ad viliſſima quæque ſe avidè abjicientem, Leodii in ſtudia gnaviter incumbentem, Pagoſque indefeſſo zelo excolentem, Audomari tandem pueris in morum Præfectum (à quo munere naturâ non parùm abhorrebat) ſeſe fortiter offerentem viderit, ad majora eum iſtis præluſiſſe non levibus argumentis conjecerit. Erupit aliquando præcluſus ardor, & conceptas diu favillas ſeptennio toto, dum in Caſtris Regiis laborioſum operarii munus obiret, latè diffudit; ubi num zelum vicerit charitas, an hanc laborum tolerantia; morum ſuavitatem pectoris candor, an iſtum efficax dicendi libertas, mortiſque contemptio, nemo facilè dixerit. Verùm hæc

raræ virtutis non niſi rudimenta fuêre : quam ſi quis plenâ luce videre cupiat, ingerat ſe cum turbâ in carcerem, ſuſpiciat cum ſtupente hominum corona Petrum vinculis adſtrictum, ſed libertatè minimè carentem; cernat mortem pro Chriſti Fide, paſſis ulnis amplectentem. Certè mortis ſententiam in alium nemo æquiore animo, quàm ipſe in ſe prolatam audiit, dicam an auditâ geſtierit? Nec victor uſquam in triumphantem currum conſcendit lætior, quàm Petrus catenis gravis, necique adjudicatus, à comitiis in carcerem remeârit. Compoſuerant ad lætitiam ora, reum præſtolantes in carcere Socii, à mortis ſententia turbatiorem (ut pro hominum naturâ conjiciebant) ſolaturi: at contrà tanta in eo emicuit exultantis animi lætitia, ut liquidò conſtaret paratiorem advenire, qui daret, quàm acciperet ſolatium. Obſtupuit ſanè Venerabilis Sacerdos lecti Socius, illâ cum nocte, ac ſequente, quæ vitæ illi ultima fuit, tam altè præter morem ad ſummum uſque mane edormire; evidenti pectoris imperterriti argumento. Aderat jàm ſuprema dies tredecim mortis Sociis luctuoſſima; Petro inſtantis immortalitatis optatiſſima Prodroma. Elutis ſacrâ Confeſſione anteactæ vitæ noxis, incruentum Sacrificium obtulit, cruento mox Sacrificio ad Tiburni furcas & ipſe immolandus. Cratem vimineam, in quâ ad ſupplicium trahendus erat, cùm à longè ſonare audiviſſet, lætus, ſoloque penè emicans exclamat, *Venio dulcis JESU, venio.* Nec mirum, munitum Chriſti Corpore pectus, JESUM ſpirare. Procedit ergo obviam, ut miles ad victoriam: Ita JESU Socius ad Tiburni Crucem. Triumphi ſpecies erat à carcere ad ſupplicii locum, Urbe ferè totâ ad januas, ad feneſtras, in plateas effusâ. Rapiebatur devota Cœlo victima, purpureâ togâ, ſanguine brevi meliùs pingendâ; manibus, ex gratiâ, pro fune, vittâ coloris rubei revinctis. Eâ autem erat blandientis oris ſpecie, & exporrectæ frontis amœnitate, ut nemo (quod in tantâ Hæreticorum fæce mireris) acerbius quidquam in prætereuntem effutierit; ita omnium rapiebat

Digitized by Google

cum mente oculos. Ad fatale necis theatrum ubi ventum, ignominiæ causâ tres inter mulierculas, totidemque fures medius conſiſtere egregius JESU Socius jubetur.

Contulit ad decorem oppoſitio: conſtititque inter mœſtos, & horrore mortis perterritos lætus, quaſi mortis ſpe jam tum vivere inciperet. Steriſſe ferunt horæ unius ſpatio, animo in ſe reflexo, eâ corporis, vultuſque compoſitione, quâ ſolebat Rem Divinam facere; cùm Pſeudo-Evangelii Miniſtellus importunè contemplantem interpellans, authoritate publicâ, veniam & vitam pollicetur, ſi Fidem velit ejurare. Cui ille: *Faceſſe Satana; mille ſi haberem animas, mille pro tuenda Fide effunderem animas.* Mox à Patre Societatis, qui bajuli habitu aſtabat, iterùm abſolutus, ſubducto carro, nullo manuum, nullo oris, corporisvè motu indecorus pependit, animâ interim ad Cœleſtis Sponſi amplexus evolante. Vir erat à ſuaviſſimo agendi modo, immotâ animi morumque conſtantiâ, ſui ipſius abjectione, Fidei zelo, in proximos charitate ita inſtructus, ut ubi ubi ageret, ſuaviſſimum virtutum odorem nunquam non ſpargeret.

Quàm glorioſa in conſpectu Domini P. Petri mors fuerit, variè deindè patuit. Corporis certè quadrifariàm diſſecti partes, fragrantiſſimo ſpiravêre odore: & paſſer confuso aſtantis multitudinis clamore non perterritus ſupra pendentis caput, diù multùmque ſe vibrando, piam animam inſtar paſſeris *ereptam de laqueo venantium*, indicio fuit. Sed hæc fortaſſe leviora; quæ lucra animarum indè comparata, majori habenda in pretio. Enimverò Acatholicus illius Author Libelli, qui *Moderator Chriſtianus* inſcribitur, plures conſpectâ Patris in morte alacritate, Catholicæ Eccleſiæ acceſſuros dixit, quàm Apoſtolico triginta annorum labore eidem adjunxiſſet. Neque vanum fuiſſe augurium enati ex Patris Sanguine fructus abundè docuêre, è quibus paucos ſelegimus. Fæmina quædam attonita Patris in ferendo ſupplicio conſtantiâ, ſub ipſo patibulo hæreſim ejuravit: teſtatusque

Digitized by Google

è prima Vir Nobilitate, in eâ ſe moriturum Religione, quam Pater moriens aſſeruerat. Illud illuſtrius quod de Nobili Matrona certo teſtimonio accepimus. Nupſerat Viro divitiis, & genere claro, ſed à Fide Catholica tam alieno, ut ſacras præſertim Imagines ſummè deteſtaretur: eâque de causâ, in uxoris precibus intentæ, conclave frequenter irrumpens, quas ibi reperit pias Icones, furibundo ſimilis dilacerabat. Rem mœſta aperuit Patri Thomæ Worſlæo è Societate noſtra, qui curaturum ſe promiſit, ut P. Petrus Writus pro Fide mox paſſurus Mariti converſionem in ipſo ſupplicii loco precibus à Deo peſceret, idque ſe facturum ſyngraphâ addiceret. Acceptam à Worſlæo ſchedulam theſauri inſtar habuit, ac tuto, ut putabat, loco repoſuit. Sed perſcrutantem omnia Maritum non feſellit; ſchedulam hìc reperit, ſed ingenti ſuo bono. Cùm enim Uxor expectaret, ut ſolitâ rabie excandeſceret, ſubitò mutatus, undè, inquit, P. Writo tanta in me humanitas, ut in mortis violentæ articulo, ſui oblitus, mei meminiſſet; Tunc rurſus Uxori, haud dubiè, inquit, Viri adeò præclari depingenda curabitur Imago, fac eam quamprimùm habeam, ut amicitiæ mihi indebitæ vicem reddam. Paruit mandato pia Mulier, expreſſumque vivis coloribus Patris vultum Marito tradidit, non ſine metu ne illum quoque in fruſta decerperet; at è contra evenit. Gratum enim habuit, Vir Nobilis, Uxoris munus, decenti loco repoſuit, ac Patroni ſui amore affici videbatur. Tum ambire Patrum Societatis colloquia & amicitiam, eoque paulatim Religionis ardere deſiderio, ut nullam quietis partem in poſterùm ſenſerit, donec Patris Worſlæi operâ Eccleſiæ Catholicæ ſe adjunxerit, in cujus gremio haud multò poſt ſpei magnæ plenus animam Deo reddidit.

Non ſine causâ P. Worſlæi mentionem hìc facio, tum quod plurimos ab erroribus patriis in rectæ Fidei tramitem quotannis reduxerit ſummâ in tractandis hominum ingeniis dexteritate, tum quod P. Petrum in vivis coluerit, in morte juverit, atque in Cœlum *P. Thom. Worſlæus*

receptum piè veneratus ſit. Dum illis præcipuè reducendis operam navaret Worſlæus, quos anteactæ vitæ crimina, juſtâ Iudicum ſententiâ ad pœnam capitis vocabant (ex qua hominum fæce circiter ſexaginta quotannis convertiſſe dicitur carcerum ferè perpetuò inquilinus;) adeò re cognitâ Senatus odium incurrit, ut comprehendi Virum illicò juſſerit, virgis à carcere Novæ-Portæ ad Tiburni patibulum excruciandum ſi in eorum manus deveniſſet. Sed Divinâ protectione in Belgium ſoſpes trajecit, atque in Collegio Leodienſi rerum Spiritualium Præfectum aliquandiu egit. Acrem, quo tandem correptus eſt morbum, ſummâ patientiâ toleravit, eo uſus ſolatio, quod juxta Valetudinarii Sacellum aſſervaretur P. Petri diſſectum corpus, non dubiâ ſpe ſibi adfuturum morienti, cui ante patienti aſtiterat.

FLORI ANGLO-BAVARICI
PARS ALTERA

QUÆ

IN NUPERA PROCELLA CONTRA CATHOLICOS

AC PRÆSERTIM

PATRES SOCIETATIS JESU

IN ANGLIA A TITO OATE EXCITATA,

BAVARIAM REGENTE

SERENISSIMO DUCE

MAXIMILIANO EMMANUELE,

EGERE VEL PASSI SUNT EJUS CLIENTES,

paucis exponens.

M

Digitized by Google

FLORUS Anglo-Bavaricus.

Conjuratio Oatiana.

HANC Commentarii noſtri partem Oatis nomine inſcribimus, ut ſuam novo Jovi Minervam refundamus. Si cui enim hæc noſtra evolvere placuerit, perſuaſum illi omninò fore ſperamus, celebrem Catholicorum in Regis caput, Regnumque Angliæ conjurationem, in Oatis duntaxat cerebro conceptam, eâque in lucem ſecuri editam fuiſſe, quam ille Catholicorum omnium cervicibus intentavit. Nobis ſanè omnia accuratè perluſtrantibus, & quæ ab anno hujus ſæculi ſeptuageſimo-ſeptimo, tum in privatis conclavibus (quantùm in ea penetrare licuit) tum *Cōjuratio Catholicorum ab Oats conficta.*

in Curiâ à Senatoribus, & à Iudicibus pro tribunali publicè geſta ſunt, attentiùs conſiderantibus, nihil occurrit quo æqui judicii Virum in animum inducturum credamus, Catholicos tantùm facinus vel mente concepiſſe.

Tam inepta, Porrò Floro noſtro non immeritò timendum, ne fidem apud poſteros non inveniat. Quæ enim narrare aggreditur, tot ſcatent ineptiis, ut conficta ab inepto Poëta cenſeri meritò poſſint. Enimverò, ſi rerum exordia ſpectentur, ex puris putiſque mendaciis conſuta ſunt; & quæ deindè conſecuta, fidem omnem uſque adeò ſuperant, ut ab initiis progreſſus, à progreſſu exitus minimé diſſideant, *ut inter fabulas rejicienda videatur.* tam exiguâ ſcilicet veri ubique ſimilitudine, ut Conjuratio Anglicana inter Romanas, quas vocant, fabulas rejicienda videatur. Sed tot rerum geſtarum monumenta typis publicâ Authoritate commiſſa, totque modis diſperſus Conjurationis rumor, ita timorem depellunt, ut meritò poſſimus præfari, nos fabulam quidem ordiri, ſed quæ cruentæ Tragœdiæ Scenam aperuit.

A tenuibus initiis, Conjurationis initia authori perquam ſimilia; tam tenuia ſcilicet, ut tota moles, ſi ejus ſolius humeris niteretur, ruitura quamprimùm fuiſſet. Sed haud ita multò poſt, Magnatum quorundam, ipſiuſque adeò Senatûs acceſſit authoritas, reſque brevi tempore eò deducta, ut *magni et periculoſi progreſſus.* convelli Regni fundamenta viderentur: illuſtri, ſi unquam documento, ex parvâ ſcintillâ magnum quandoque oriri incendium, quod Regnis etiam potentiſsimis ruinam minitetur. Ac licet varii *Qui præcipue, & quo fine manum cõmodarint;* huic operi manum commodarint, ii tamen præ cæteris in eo perficiendo deſudarunt, qui non Catholicos modò, ſed Regem etiam peroſi, hunc per eorum latera petere conſtituerant. Cui etiam acceſsit ipſius odium Religionis, quam funditùs everſam cupiebant: caſuro, ut credebant, eodem impulſu, ſpe Regiæ ſucceſſionis Duce Eboracenſi, quem Catholicorum partibus acceſsiſſe fremebant. Hi certè Oatis commenta avidè arripere, perpolire, & incautæ plebi pro Sybillæ foliis venditare. Sed rebus è ſententia non ſuccedentibus, rejectâ Oatianæ fabulæ machinâ, veram conjurationem adorſi

Digitized by Google

ſunt: quâ detectâ, plexisque reis, iiſdem ſe retibus implicitos ſenſerunt, quæ tetenderant innocentibus: Deo lentè quidem, ſed certò ſervorum ſuorum ſanguinem ulciſcente. Sed nunc rei ſeriem paucis evolvamus, in qua rerum potiùs quàm temporis ordinem, nè Lectoris obtundatur attentio, plerumque ſervabimus. *ſed exitu infelici.*

Titus Oates, multis, ut poſtea patuit, ſceleribus inquinatiſſimus, fictè Catholicam Fidem amplexus, ex Valiſſoletano ſuæ gentis Collegio paucis ante menſibus expulſus, Audomarum decimo Decembris, anno 1677. appulit, admittiq; in Seminarium Anglorum poſtulavit. Ægrè aſsensêre Patres, quibus Juventus illa regenda committitur, ut Vir ignotus, conſtante jam ætate, in tot Nobilium Adoleſcentium, & penè puerorum contubernium adſciſceretur: ſed amicorum precibus, & litteris commendatitiis, quibus inſtructus acceſſerat, tandem ſuccubuêre. Dum itaque Patres ex ſtipite iſto Mercurium facere nituntur, Oatem tam præclaræ juventutis conſortio, ac multò magis Societate, cujus ſe Candidatum ferebat, ſtatim indignum deprehendêre. In conſortio familiari ad inferendam injuriam promptus erat, ferendæ omnino impatiens. Quos reverebatur, vel timebat potiùs, eos blandè compellare, & adulatione demulcere: quos verò adverſarios patiebatur, dicacibus verbis intolerantiſsimè proſcindere: ſe ſuaque extollere, quæ pro Fide paſſus, quàm amplâ fortunâ, Dei causâ, excidiſſet, mendax ſuarum laudum præco, magnificè prædicare; interea Cultum Divinum negligere, & ſuis commodis unicè ſtudere. Cùm pueris arroganter, cum æqualibus timidè, cum Superioribus nunc queribundè, nunc abjectè agere. Si verbo per diem læſum ſe judicaſſet, cùm noctu cubitum concederet, quæ Regius Pſaltes contra Chriſti aut Eccleſiæ hoſtes olim cecinerat, ea in innocentes juvenes, quos gravi priùs injuriâ laceſſiverat, altâ voce intonare, & vindicem Dei manum contra eos excitare. Sed, ut hæc ferenda viderentur, id certè tolerandum non erat, ut Regiam Stuartorum Familiam, nunc ſpuriam, nunc tyrannidis ream vocitaret. Cùmque Ducis Eboracenſis Filium præpropero fato extin-

Oates in Audomarenſe Angloruͣ Collegiũ admittitur.

Ejus mores.

Digitized by Google

ctum audiſſet, de eo ſe dixit non magis angi, quàm ſi Ducis canem obiiſſe intellexiſſet. Ob hæc, aliaque ſæpiùs increpitus, minis etiam additis ejiciendum Collegio, ni mores cum mente mutaret: abjicere ſe ad Superiorum pedes, veniam precari, atque humiliter dicere, pravam conſuetudinem, quam à teneris contraxerat, non illicò deponi: facturum porrò quod in ſe eſt, ut muneri ea in re ſuo ſatisfaciat. Hæc cum lachrymis (quas ad nutum habuiſſe poſtea compertum eſt) ſæpiùs ingeminando, Patres permovit, ut explorandam ulteriùs hominis indolem cenſerent. Intereà quod aliorum de eo fuerit judicium, è duobus patuit. Vir gravis ad unius noctis hoſpitium, & cœnam in triclinio admiſſus, ubi hominis vaſtos geſtus, vocem clamoſam, & arrogantiſsimum agendi modum obſervaſſet, quæ de Iuliano Apoſtata dixerat Gregorius Nazianzenus, Oati accommodans: *Quale*, inquit, *monſtrum ſibi nutrit Societas.* Illuſtriſsimus verò Antiſtes Audomarenſis accedentem Oatem, ut ſacro Chriſmate inungeretur, à longè conſpicatus, ferali hominis vultu perterritus, induci vix potuit ut ipſi Sacramentum adminiſtraret.

Externorum de eo judicium

Collegio ejicitur.

At procedente tempore, Patres in lavando Æthiope rati operam ſe perdere, cum P. Thomâ Harcotto Provinciali (qui ad Collegium viſitandum in Belgium trajecerat) de expellendo Oate egerunt: quo non conſentiente modò, ſed urgente etiam, dictum Oati eſt, ut ſe ad abitum quamprimùm pararet. Cohorruit ferali nuncio infelix, ut qui ſe hoc pacto in priſtinam redactum miſeriam cerneret, & cui terrâ marivè conſiſtere per anteacta ſcelera non licuerat, nunc ubi victum emendicaret, dubius hæreret. Hinc in omnem partem ſe vertere, cum Patribus blandè agere, & ſeriam emendationem ſpondere: cum ſociis verò in verba deſperationis plena erumpere, quæ inter, hæc omnium ore decantata: *Neſcire ſe quò intolerabili paupertatis onere adigeretur; Jeſuitam, vel Judam eſſe ſe oportere.* Sed his, aliiſque vafri hominis artibus, minimè motus Provincialis, ut abitum maturet confeſtim imperat. Pridie quam diſcederet, ſub ſeram noctem, repertus eſt in Sacello Partheniæ Sodalitatis, Altari, Sacrificantium

more, cubitis innixus. Interrogatus quid ibi ageret, *Valedicere ſe*, ait, *Chriſto JESV*. Quæ verba licet in bonam partem accipi poſsint, ut in malam tamen ſumerentur, fecêre perverſi hominis mores, & arrogantiam redolens corporis ſitus, ut proindè dixerit nonnemo: *Oatem ita Chriſto valedixiſſe, ut nullum cum eo ampliùs commercium habuerit*. Illuceſcente tandem Iunii die vigeſimo-tertio Anno 1678. Oates in viam ſe dat, octavo, ex quo Audomarum venerat, menſe nondum completo: quo tempore, ut confectis obſignatisque tabulis probatum eſt, Oates unicâ tantùm nocte, in vicino Watenenſi Novitiatu, extra Collegii ſepta ſomnum cepit. *Valedicit Chriſto.*

Londinum appulſus, duplicem perſonam ſuſtinuit Oates; palam & cum Ieſuitis humilem: clam, & cum fœderatis ſibi ſociis impiam: ut ſi voto ingrediendæ Societatis non potiretur, fidem oraculo ſuo faceret, Iudam induendo. Patres itaque ac præſertim Watingum, Irelandum, & Fenwicum blanditiis adoriri, afflictæ fortunæ ſubſidium poſcere, ac de Provincialis reditu multa ſciſcitari: his cum incautâ commiſeratione ad colloquium admittentibus, & præſentem inopiam levantibus. In privatis autem conclavibus cum Ezerele Tongio, Digbæo, & Blodo ſcelerata agere conſilia, & de concinnandis Conjurationis capitibus deliberare. Quid porrò boni ab hoc quatuorviratu cudi potuit? Tongius Pſeudo-Theologiæ Doctor editis libris Catholicorum ſe hoſtem probaverat. Digbæus Mercator, foro ceſſerat, ac rem peſſundatam quavis arte reſarcire conabatur. Blodum verò, attentatum Coronæ Regiæ furtum, infamem reddiderat. Hi conjunctis conſiliis, mutuatisque ab Oate Jeſuitarum, aliorumque Religioſorum nominibus, fabulam texere adorſi ſunt; quâ Catholicum omne nomen in invidiam vocarent. Cui operi dum ſedulò vacant, ad conſilia ſua ſilentio premenda omnem induſtriam adhibent, mutatis eâ de causâ perſæpè congreſſus habendi locis. Tandem in Aulâ, cui Vulpinæ nomen, poſt ſex hebdomadum labores poſtremam operi manum imponunt. Obſervatum toto eo tempore eſt, Digbæum cum adjuncto ſibi ſocio totas noctes ad ſcri-

Quæ publicè, & privatim Londini geſſit.

Qui ejus ſocii informandis Cõjurationis capitibus.

Digitized by Google

Qui ſubindè acceſſerint.

bendum incubuiſſe, reliquis eo de die ventitantibus. Quinimò rhedis compluribus vecti Nobiles eò perſæpè confluebant, aut cùm ipſi per ſeſe cætui intereſſe non poſſent, eò mandata mittenda tradebant pediſſequis, per famulitias quorum veſtes variis tinctas coloribus, haud difficulter machinationis hujus artifices eruerit Scriptor in rebus Anglicanis verſatior. Non levis eſt conjectura inter cæteros ſemel adfuiſse Gulielmum Bedloum, quem ut promovendæ Conjurationis Oati ſocium adjungi, ita concinnandæ adjutorem eſſe oportuit. Tot hominum hùc confluentium, & ſecretò deliberantium concurſus effecit, ut Aula Vulpina, Domus Conjurationis poſtmodum vocaretur.

Inſtat ut in Societatē admittatur at rejicitur.

Interea Oates perniciosius decipiendi anſam quærens, iteratis ſæpè precibus admitti in Societatē poſtulat, at ſemper rejicitur. Mox precibus minas adjecit, & Viro cuidam Nobili *habere ſe*, ait, *parata læſæ Majeſtatis capita quadraginta, quorum Patres Societatis arceſſat: Poſſe eos ſe periculo eripere, ſi è duobus alteri aſſentiantur, vel ſe voti compotem faciendo, vel annuâ penſione cohoneſtando.* Utrumque rejecit, circa hoc tempus redux Provincialis, quòd indecorum eſſet hominem uſquequaque ineptum in Societatem cooptare, vel annuo reditu alios ad jactandas, Oatemque ad reiterandas minas incitare. Oates itaque ex deſperatione, reſumpto Patres calumniandi animo, opus aggredi ſtatuit. Ut verò ſecuriùs, magiſque ex animi ſententiâ negotium procederet, ad Græcas artes recurrendum cenſuit unus è conjuratis; nec aptius quicquam ſibi dixit occurrere, quàm ut fictitiis litteris fidem ſuæ fabulæ conciliarent. Rem enim fore ancipitis aleæ, ſi tanta moles infirmâ unius hominis authoritate fulciretur. Probato conſilio, Waringi, Irelandi, & Fogartii nomine litteras cudunt, quas, aliis tanquam à Fenwicko datis incluſas, P. Thomæ Momfordo inſcribunt. Noverant Momfordum magno eſſe apud Jeſuitas loco, neque quenquam aptius tanti criminis arceſſi poſſe: fore enim ut, ſi negotium ſuccederet, alii, ſi minùs in tandem trahendi ruinam, in invidiam certè vocandi eſſent.

Dolo rē aggreſſuri, litteras fictas ad P. Momfordum dant.

Commodum

Commodùm Rex Vindeſoriam ſe contulerat, (Palatium id eſt vigeſimo ab Urbe lapide) quò Virum Nobilem ex Regio Comitatu ſequutus fuerat Momfordus. Huc itaque deferendum Curſori tradunt faſciculum, miſſis qui ipſis ſe comites jungerent, ut manu in litteras primo appulſu injectâ, eas Regiis Miniſtris traderent: luculento, ut putabant, argumento Conjurationem Jeſuiticam non ab Oate confictam, ſed verè factam probaturi. At cùm pari paſſu Curſorem non ſequerentur, Momfordus, qui matutinus ad auram in ſaltu captandam proceſſerat in hunc fortè incidens, litteras ad ſe datas poſcit, accipitque. Reſignatis Sigillis, nota nomina, characteribus planè peregrinis exarata offendit. Sed maximè litterarum argumento obſtupuit, quod erat hujuſmodi. Negotia in Hiberniâ feliciter promoveri: proſpera rerum in Scotiâ eſſe initia: animandum Fogartium, & cæteros nobis faventes: ſedulò laborandum, ut numerus quadrageſimus-octavus (quo Oates Sphynx Jeſuitarum, Regem dixit intelligi) quamprimùm removeatur, & hujuſmodi alia. Interea à fido homine monetur Momfordus à variis in ipſius litteras inquiri; rem inſolitam mirante Curſorum Præfecto. Sed ille rem in tuto jam collocârat. Fraudem enim ſubodoratus, munitâque per amicum ad Ducem Eboracenſem viâ, hoſtium ſuorum artes ipſi aperuerat, & litteras tradiderat Regi conſignandas: qui collaudatâ Momfordi fide, nihil vel à Jeſuitis, vel ab eorum fœderatis timendum ſibi dixit.

Dolus virtute eluditur.

Dolo hoc (ut in cuniculis accidit, contrario opere exceptis diſflatiſque) Patris virtute eluſo, vi apertâ rem agere aggreſſi ſunt, & quæ clanculùm inter privatos parietes conceperant, palam ſcelere & perjuriis promovere. Oates itaque, quod neceſſarium ad reliquam accuſationem fuit, coram Edmundo Berræo, Godefredo Equite Aurato, & Civitatis Londinenſis Irenarchâ ſcriptum exhibet, quo concinnata in Catholicos læſæ Majeſtatis crimina continebantur; ut Oates interpoſitâ jurisjurandi religione eorum veritatem firmaret, & Godefredus juramentum de more præſtitum ſuo chirographo

Oates palam acturus, jurat corã Godefredo Irenarchâ.

teſtaretur. Hæc rei Catholicæ prima labes, Irenarchæ perquàm fatalis fuit. Lecto enim Oatis Commentario, Catholicorum caſu indoluit, & rem totam Eduardo Colemanno (erat is Duciſſæ Eboracenſi à Secretis) per litteras aperuit: quod non neminem uſque adeò offendit, ut Godefredus haud ita multò poſt violentâ morte ſuam in Catholicos benevolentiam luerit.

Oates ad Regis alloquium admiſſus, in Concilii ſecretioris conclave ducitur, & Catholicos cõjurationis accuſat.

His peractis, obtentoque ut ad Regis alloquium admitteretur, comitante Tongio in Sanctioris Concilii Conclave vocatus eſt Oates, die vigeſimo-octavo Septembris. Ubi coram Auguſto illo Conſeſſu conſtitiſſet, in genua provolutus: *Habere ſe*, inquit, *quæ Regem ſcire boni publici interſit, ſed priùs demiſsè poſtulare ut ſibi ſua ſcelera condonentur.* Erectuſque ſpe veniæ, juſſuſque conſurgere, ficto ad gravitatem vultu exponit, *factam à Catholicis Conjurationem, quâ ſuperſtitionem Papiſticam, vi & armis in Angliam reveherent, cui ut viam munirent Regem ferro aut veneno tollendum, ac Proteſtantes omnes internecione delendos: conſcriptos eum in finem exercitus, conductos Sicarios, parata omnia, ſolùmque nutum fœderatorum Principum expectari; ſe, qui conſiliis omnibus interfuiſſet, omnium eſſe conſcium, jamque tanti ſceleris tactum conſcientiâ, ſcelerata Papiſtarũ conſilia, & artes ſcripto exhibere, ut Rex ſuæ, Regnique ſecuritati melius proſpiciat; variis ſe Ieſuitarum perfunctũ legationibus, egiſſe Madriti cum Ioanne Auſtriaco, et Pariſiis cum P. Franciſco Chaiſio, eorumq; de promovenda conjuratione mentem didiciſſe.* Percelli Proceres funeſtâ denunciatione, & ſuſpenſo animo expectare quidnam Oatis commentario contineretur: qui ſe immiſcuiſſent ſceleri, quibus armis & opibus rem tantam ſuſcepiſſent. Tum Rex Oatem interrogare *quâ corporis formâ eſſet Auſtriacus? Alto*, inquit, *& gracili, flavumque alit capillum.* Tunc rurſus Rex, *in quâ*, inquit, *Jeſuitarum Domo*, (ternam habent Pariſiis) *egiſti cum Chaiſio?* In eâ reſpondit Oates, quæ eſt Luparæ contigua. *Omnia alia*, inquit Rex; qui Auſtriacum in Belgio noverat, nec ignorabat Confeſſarii Regii domicilium, quantum Urbs Pariſienſis ad Sequanam porrigitur, à Luparâ diſtare, nullumque illi

In duplici perjurio deprehenditur

vicinum Patres habere: ut Rex de Oate conclavi exeunte meritò dixerit, *Iſte eſt mendaciſſimus nebulo.* Duplicis perjurii reus, fidem in aliis non merebatur: ſed diſsimulanda hæc fuêre, Deo Catholicis amplam patiendi ſegetem præparante.

Interea authoritate Concilii expeditæ litteræ, quibus Oati reos undique conquirendi, ac in carceres tradendi facta poteſtas: aſſignatiq; Satellites qui ipſum tum in opere juvarent, tum vim, ſi qua inferretur, depellerent. Oates impoſitam ſibi provinciam tam gnaviter executus eſt, ut nocte inſequente Patres Irelandum & Fenwickum è Societate JESU; Fogartium Doctorem Medicum, Pickeringum ex Ordine Sancti Benedicti Fratrem Laïcum, & Grovium ſæcularem, (qui recipiendis, diſtribuendisque Patrum litteris operam navabat) in vincula conjecerit, tam arctâ tenendos cuſtodiâ, ut neque ſoror fratrem, neque uxor maritum adire, aut alloqui permitterentur. Erant omnes, ut Conjurationis innocentes, ita tempeſtatis exoriturae omninò ſecuri. Sed contra armatam vi malitiam, nullum in conſcientiâ labis puriſsimâ aſylum. Et licet de periculo admoniti, judicabant in ſimili conflictu nunquam ſecuriùs pugnari, quàm obvio pectore tela hoſtium excipiendo. Id verò militibus Chriſti ſolatiò fuit, eâ fuiſſe nocte in carcerem conjectos, quæ Sancti Michaëlis, exeunte Septembri, feſtum præcedit: quod indè ſcirent, quo Duce in arenam deſcenſuri, cujuſque tandem auſpiciis aliquot poſt annos in altero ejus Feſto, de Oate Dracone Anglico eſſent triumphaturi.

Fit Oati poteſtas reos in carcerē conjiciendi.

Varii capti.

pridie feſti S. Michaëlis.

Ex gravi per id tempus morbo decumbebat P. Harcottus Provincialis, qui præſagus periculi in Palatio Oratoris Hiſpanici (erat is Comes Egmontius, nullo ſatis præconio laudandus) aſylum quæſierat, ſimiliqué infirmitate ibidem detinebatur Pater Eduardus Harvæus, quem Socium ſibi aſciverat. Agebat animam uterque, eaque erat vis morbi, ut propediem morituri crederentur. Ad eos tamen in carcerem tradendos miſsi ſatellites quibus in anterius Palatii atrium, abſente Egmontio, irrumpentibus, tenerâ ætate, ſed animo ſupra

P. Harcottus Provincialis cū Socio æger in Palatio Oratoris Hiſpanici.

Digitized by Google

ætatem forti, opponit ſe Princeps Gavrius, unicus Comitis Filius. Expoſtulari de violatis Oratorum privilegiis, quorum per Jus Gentium Palatia, etiam reis tutum præberent refugium. Sed armata vis, Oate præſertim duce, nec ratione, nec innatâ Principis generoſitate permota, irrumpit; Principe, quod reliquum erat, infelicem, Patrum caſum lachrymis proſequente. Triſti ſpectaculo Patres cum morte luctantes offenderunt, ſed humanæ ſortis conſideratione, nil permotus Oates, aut ejus Satellites, ad excutiendos omnes cubiculi angulos curam intendunt; quumque loco tam tuto paterent omnia, in acta Congregationis Provincialis Menſe Aprili, aut Maio ejuſdem Anni Londini habitæ, in litteras, Provinciæ Catalogos, ipſamque arcanorum notam manus injiciunt; quæ res ad vindicandos ab infami calumniâ Patres valuiſset quamplurimùm, ſi quâ diligentiâ, abditiſsimos cubiculi receſsus perſcrutati ſunt, eâdem benevolentiâ declaraſsent, ne veſtigium quidem conjurationis in cunctis quæ corraſerant ſcriptis, apparuiſse.

Duce Oate.

Qui in ſcripta omnia manus injecit.

His peractis, de Patribus ad carceres rapiendis deliberatum: ſed interceſsit Medicus, quod eâ barbarie ante ſententiam Judicis interimendos aſſereret. Non tamen indè priùs diſceſsit ferox Satelles, quàm moribundos repetitis ſcloporum ictibus malè pulſaſſet, quaſi ægrè ferret pauculas afflictis vitæ horas ſupereſſe. Sed cunctis inhumanior Oates Dux ſceleris, *Abeamus*, inquit, *nam iſte*, Provincialem digito deſignabat, *celeri paſſu ad Dæmonem tendit*: uſque adeò neque à naturâ in ægros inſita commiſeratio, neque humanæ miſeriæ conſpectus ab injuriis cohibere potuit Oatianæ linguæ intemperantiam. Nè tamen Patres elabantur, octo ad januam Cuſtodes appoſiti; licet Comes Egmontius, apud Regem de violatis Oratorum juribus queſtus, eos Concilio Regio ſiſtendos adpromitteret, quamprimùm id per eorum valetudinem liceret.

Appoſiti ad cubiculi januã Cuſtodes ne ægri elabantur.

Jacebant interea Ægri, ſpe omni vitæ deſtituti. Harcottus præſertim, qui paucis horis antequam in ejus cubiculum irruerent Satellites, ter animam agens, tertiò aſtantium precibus ad felicem mors

Ægri quo ſtatu

Digitized by Google

tem comparatus fuit; adeòque vis morbi invaleſcebat, ut hoſtes extinctum veneno dixerint, ne ductus ad Tribunal, grandi Provinciæ infamiâ Conjurationis initæ damnaretur. Ad vim morbi, qui ſomnos ægris plerumque adimit, acceſſere Satellitum ad januam clamores, qui militari more perſtrepentes, moribundis omnem quietis partem ademêre. Mitius utcunque cum Harvæo agi, neque adeò præſens videri periculum. Cùm ecce mirâ viciſsitudine mutari omnia; Harcottus morbo pedetentim levari, Harvæus è contra morbo ingraveſcente paulatim ad extrema deduci, ac ſenſim emori; illâ ſolummodò uſus querelâ, quod ad Tyburni furcas Provincialem ſuum comitari non poſſet. Excitata denuò ab Oate, ejuſque aſſeclis veneni ſuſpicio, quæ Magiſtratum adeò permovit, ut corporis diſſectione eruendam veritatem cenſuerit. Sed cum membris minutim conſciſsis, nulla veneni veſtigia cernerentur, exploſa eſt fabula, non levi documento, quæ fides mendaciſsimo capiti cæteris in rebus adhibenda eſſet. *P. Ed. Harvæus moritur.* *Falſa de illo ſuſpicio.*

Sed ut Harcottum languentem reviſamus, ut arbores à ferro opes novas, roburque ſumunt, ita ipſe malorum ſibi impendentium conſpectu lætus, depulsâ vi morbi, reviviſcere, vires reſumere, atque ad ardua perpetienda ſe præparare. Confirmatâ utcunque valetudine mittuntur duo Præfecti Pacis, qui eum de conſcientiâ Conjurationis, aliiſque multis interrogent. Quibus ille: *Si de ſuſcepto Sacerdotio ſuſpectus habeatur, eſſe ſe Sacerdotem è Societate JESV, & quidem toti Provinciæ Præpoſitum. Si hac de cauſâ per Angliæ leges mortem ſit promeritus, habere eos confitentem reum, ſine teſtibus, ſine judicio, quod leges indulgent: ſupplicium ſe declinare nec poſſe, nec velle, quod ſperet Deum vires ægro corpori ſuffecturum, ut irrogatam legibus pœnam conſtanter ferat. Ad conjurationem quod attinet, ſe ſuoſque (quorum in nuperâ viſitatione animos introſpexiſſet) ab ea eſſe omninò alienos. Morti jam devotus ob ſuſceptos Ordines, cur objecta celet crimina, ſi iis teneatur? Ea ſe ideò negare, quod ſuæ, aliorumque innocentium famæ, infami calumniâ maculam aſpergere* *P. Provincialis cōvaleſcit, & examinatur.*

per Dei leges prohibeatur.

Ad carcerem mittitur,

Tam liberâ ſui accuſatione, dignus videri potuit, cui in cæteris crederetur; ſed ea erat dictorum Oatis authoritas, ut Pater ideò reus haberetur, quod ab oraculo illo diſſentiret. Quare ad carcerem Novæ-Portæ quamprimùm amandatur, quò in ſede geſtatoriâ, quod vires aliud non ferrent, delatus eſt. In via cachinnis exceptus, lutoque ac lapidibus impetitus, mortem vix evaſiſſet, niſi Vir Nobilis, cui Patris deducendi demandata cura, infeſtæ plebis rabiem compeſcuiſſet. Ad carcerem appulſus, confirmatâ nondum valetudine, vinculis oneratur, quibus tamen non affligi vires, ſed novas ſibi ſuffici indies ſenſit. *Tanti eſt ſerenam, plenamque Deo mentem ad ærumnas afferre.*

Mors Godefredi Irenarchæ.

Dum P. Harcottum Deus ad nova parat certamina, novæ hoſtibus vires ab infelici caſu accedunt. Sub veſperam diei decimi ſeptimi Menſis Octobris, Godefredi Irenarchæ (ita vocant pacis publicæ Præfectos) cujus antea meminimus, mortuum cadaver novam Catholicos calumniandi materiam præbuit. Violentâ morte ſublatum fuiſse variis indiciis patuit; corpus proprio enſe trajectum duplici habat vulnere, primum carnem leviter perſtringebat, gladio in coſtam impingente: ſed ictu altero infra papillam adactus, perforato corpore extra ſpinam dorſi emicuit. Non eo periiſſe vulnere oſtendit contortum collum, & faſciâ candidâ arcte conſtrictum. Qui hujus ſceleris fuêre, vel authores, vel complices, cadaver in foſſæ marginem, dumis & vepribus conſitæ, projecerunt, propè collem, cui à Primulâ Veris nomen eſt, ſecundò ab Urbe lapide. Juxta jacebant baltheus, vagina, & chirothecæ, quaſi indicio pertranſeuntibus futuræ, non longè abeſse cadaver. Sacculus auro & argento plenus, non à latronibus lucri causâ, ſed ab hominibus odio inflammatis perpetratum facinus probabat. Re per Urbem divulgatâ, varii varia ſentiebant: ſed brevi ea obtinuit opinio, quæ Irenarcham à Papiſtis trucidatum aſſerebat. Scilicet, ut graſſante contagione, quocumque morbo pereant mortales peſte dicuntur extincti;

Invidiosè Catholicis affingitur.

ita vigente à Catholicis factæ conjurationis famâ ab iis perpetratum facinus vulgarunt malevoli, crediderunt incauti. Cùmque ad popinas potiſsimùm confluunt rerum novarum venditores, hi Somerſettenſe Reginæ Palatium deſignare: Reginæ famulos ſceleris ſadminiſtros dicere: & tacitè Reginam ipſam ſugillare: ut quò clarior eſſet Heroinæ iſtius virtus, eò plures ad eam offuſcandâ nubes cogerentur.

Cùm tanti facinoris Authores boni publici ratio ad pœnam poſceret, Rex, vigeſimo Octobris, ſolenni Edicto jubet ut in homicidas inquiratur, propoſitâ quingentarum librarum mercede, ſi quis ea admiſſi ſceleris indicia daret, ut rei in carcerem tradi, convincique poſſent: indultâ etiam iis veniâ, qui ſe facinori immiſcuiſſent, modò complices in lucem producerent, apprehenderentque. Sitiente aure hujus Edicti rumorem bibit Gulielmus Bedlous, homo latrociniis in Angliâ, Belgio, Hiſpaniâ infamis. Mercedi inhiabat avidè, ſed quem arceſſeret reum ſceleris in hominem, quem nunquam viderat, patrati? Amico propterea in aurem inſuſurrâvit fore ſe illius ſummæ compotem, ſi Godefredum, vel de viſu noviſſet. Sed cohibere ſe non potuit, quin eſcam tam dulcem voraret, quamvis periculum eſſet hamum ſimul deglutiendi. Quare Briſtoliam quaſi ad levandam mentem tetendit, & vultu ad mœſtitiam compoſito, angi ſe conſcientiâ dixit, nec illâ lanienâ unquam liberum fore, donec animi ulcus detegeret. Londinum itaque redux, tacito ſuo nomine, Regiis Miniſtris ſignificandum curavit, ſcire ſe qui Godefredum barbarè ſuſtuliſſent, facturum ſe ſatis eorum deſiderio, modò de criminum veniâ, & pactæ mercedis repræſentatione certus reddatur. Acceptâ conditione: promptum ſe offert; & jam Bedlous per omnium ora volitare, & cùm Catholicos homicidii arceſſeret, Oati, ut ſecundus Pater Patriæ plebis ſuffragio, adjungi. Sed cum non niſi duplici teſte cadant in Angliâ rei, Oreſti huic deerat Pylades, qui eandem cantilenam Miniſtris Regiis, & Iudicibus occineret. Milonem itaque Prancium, Aurifabrum non ignobilem, minis (ut rerum periti aſtruunt) aggreditur, ut homicidii reum, morte mulctandum, ni

Regiis Edicto citantur, qui homicidas prodant.

Bedlous ejus ſe conſcium fingit,

ac ſibi Milonē Pranciū in ſociū aſciſcit.

Digitized by Google

ſecum velit alios patrati homicidii accuſare. Terrore perculſus Prancius manus dat, & fabulâ inter ſe compoſitâ uterque Godefredum in Reginæ Palatio trucidatum pari impietate aſtruere ſtatuunt. Sed ut rudes Diſcipuli, ſi Magiſter manum non apponat, nihil eleganter, accuratèque ſcribunt, ita hi in pejerandi arte tyrones hiſtoriam texuêre tantâ circumſtantiarum varietate ſecum pugnantem, ut cœcus videat quantùm à veritate aberrarint.

Cogitur Senatus, cui Rex factâ in ſe conjurationẽ aperit.

Adeſt interea dies cogendo Senatui dictus, qui fuit vigeſimus-primus Octobris Anno 1678. Convenêre omnes de more, & deputatis Provinciarum, Urbiumque, qui tertium Regni Ordinem, ſeu inferiorem Senatûs Curiam conſtituunt, in Superiorem, quæ è Regni Proceribus conſtat, evocatis, Rex orationem ad eos de more habuit. *Quam* inquit, *in me, Regnumque Angliæ factam à Jeſuitis Conjurationem intellexi, ita exponam ut de eâ nihil pronunciem, ne vel nimium, vel nimis parum dicam in tanti momenti causâ, quam propterea legibus examinandam permittam. Vigili intereà oculo, iſtius generis homines, alioſque obſervabo, qui cum exteris gentibus egerunt de Fide Catholicâ in Angliam poſtliminio reducendâ.* Tum ærarii anguſtias paucis expoſuit, cujus ſtatum illis conſiderandum relinqueret.

Senatus ad eam examinandam incũbit.

Ubi tertius Ordo in ſuam ſe Curiam recepiſſet, poſteriori Regiæ Orationis parte, (quæ Regni ſummè intererat) ſilentio prætermiſsâ, in Conjurationis negotium toti incubuêre. Et verò duobus, eoque ampliùs menſibus, quibus hic Conſeſſus protractus eſt, aliud nihil palam agitatum, quàm ut Regiæ ſaluti contra occultas Papiſtarum artes, & Religioni Proteſtantium contra Superſtitionem Romanam proſpicerent. Sed ut omnia ritè auſpicarentur, ſupplici Libello Regi porrecto, petierunt, ut dies Numini per preces, jejunia, aliaque demiſſi animi ſigna propitiandò indiceretur. Hunc in finem Regio Edicto ſtatutus Novẽbris dies decimus-tertius. Dum ille illuceſceret, ſtrenuè in ſuſcepto opere pergendum rati, præter teſtium oracula, ſcripto mandata, chartas omnes, quæ in reorum ſcriniis reperta fuêre, ſibi exhiberi poſtularunt, non dubiâ ſpe, vel leviter ſaltem impreſſa conjurationis veſtigia, ſi non certa indicia reperturos.

Digitized by Google



Summa Accuſationis ab Oate ac Bedloo, Catholicis, ac præſertim Patribus Societatis intentatæ.

VBI breve tempus in hoc negotio poſuiſſent, ut pleniùs de omnibus edoceantur, Senatus inferior teſtes ipſos ad examen quamprimùm vocat. Oati ad comparendum dictus dies vigeſimus-quintus Octobris, qui à negotiorum tractatione quartus fuit. Paret Oates, & Curiam ingreſſus, longâ Oratione, quam mane exorſus, à meridie tantùm abſolvit, totius Conjurationis telam pertexuit, eaque pro ſolitâ linguæ ſuæ intemperantiâ in Catholicos effutiit, quæ nec impudentiſsimus Blatero Neronianis temporibus (quibus magno erant in pretio in Chriſtianos jactatæ calumniæ) proferre auſus fuiſſet. Nos quæ longâ narratione typis poſtmodùm datâ complexus eſt, in ſummam redigemus: quæ ſi productior videatur, ignoſcet Lector Benevolus, cui illud commodi accedet, ut cognito Oatis fœcundo ſimul & inepto ingenio, ſtatuere poſſit, quàm difficili loco fuerint Catholici, quibus tam prolixa accuſatio diluenda erat.

Oates in Curiam inferiorē vocatus, longâ oratione Catholicos perſtringit.

O

Compoſito itaque ad gravitatem vultu; *Cuſam*, ait, *in Regis caput, Regnumque Angliæ à Papiſtis Conjurationem, ut Fides Catholica in illud poſtliminio revehatur. Romanum Pontificem, Regna Angliæ præſertim, & Hiberniæ, quod Rex hæreſeos crimine teneatur, ut ad ſe devoluta repetere: Legato eâ de cauſâ in Hiberniam Epiſcopo Caſſalienſi, & Eminentiſſimo Howardo Cardinali Norfolcienſi ſimili authoritate ad Angliam reducendam inſtructo. Rem vi & armis peragendam; adeoque Angliam, ut factum regnante Carolo primo, civili bello implicandam. Pium opus eſſe,* Regno *olim* Florentiſſimo *avitam Fidem reſtituere, quamvis id cædibus & ſanguine tentandum, perficiendumque eſſet. Operis promovendi curam Joanni Paulo Oliva Societatis Præpoſito Generali commiſſam, factamque huic poteſtatem viros idoneos præcipuis muniis tam civilibus, quam militaribus præficiendi: relictâ Angliæ Provinciali facultate, ut quos aptos judicaret, minoris momenti officiis admoveret.* Tum civilem novi Regni adminiſtrationem Oates hoc pacto diſponit.

Scopus conjurationis cujus author Romanus Põtifex.

Adjutores Jeſuitæ.

Cancellarii munus Henrico Baroni Arundelio demandatum: Supremus Regni Queſtor creatus Gulielmus Comes Powiſius: Colemannus Regi à ſecretis, ut vocant Status, dictus Amanuenſis. Militaria Officia pari arte diſtribuit; creato Exercitus conſcribendi Imperatore Joanne Barone Bellaſio, cui Legatum adjunxit Gulielmum Baronem Petrium; commiſsâ Caſtrorum Præfecturâ Franciſco Ratcliffo Equiti Aurato, & quæſturâ militari Gulielmo Vice-Comiti Staffordio. His omnibus miſsas fuiſſe cõmiſſi muneris litteras patentes, appreſso P. Pauli Oliva Sigillo munitas, cum plenariâ peccatorum indulgentiâ, quas Oates in Langhornii conclavi vidiſſet, earumque aliquas ſuâ manu diſtribuiſſet. Tum qui, ſtabilitâ novi Regni formâ, Eccleſiæ regendæ eſſent admonendi accuratè exponit, eâ factâ Jeſuitis gratiâ, ut opulentiſsimos ipſis Epiſcopatus conferat.

Quomodo Civilia, & militaria munia diſtribuat.

Ad certiorem ſuſcepti facinoris exitum, ſtatutum à variis annis fuiſſe Regem è medio tollere, ſclopo, ferro, aut veneno, quod eo vivo

Tollẽdus è medio

Digitized by Google

nihil è voto conjuratorum perfici poſſit: quinimò Regiam Stuartorum Familiam penitùs extirpandam, trucidato propterea Principe Auriaco, ipſoque adeò Duce Eboracenſi, ne ſurculus ex ſpuriâ illâ Familiâ ſupereſſet. Eboracenſi tamen parcendum ad tempus, ſi mortem Fratri jure illatam agnoſceret, & Catholicorum conſiliis acquieſceret: ſin minùs, paratum eſſe *ſalvum conductum*, quò ſecurè ad inferos tenderet. At quia Proteſtantes armis & opibus pollebant, nè qua ab iis remora injiceretur, hos quoque internecione delendos; ac eos præſertim qui ſcriptis Catholicos laceſsiviſent, ut Tongius, Stillingfleetus, & Berræus.

Rex, totaq; adeò Familia Stuartia

Ad hæc meliùs ſecuriusque peragenda, jungendos ſibi arcto fœdere Principes externos cenſuiſſe Jeſuitas. Oates eam ſibi provinciam impoſitam dixit, ut trajecto mari, Joannem Auſtriacum, qui tunc pro Rege Hiſpaniæ negotia adminiſtrabat, Societati, ejuſque conſiliis adjungeret. Dum ad iter ſe comparat, hæſitatum inprimis fuiſſe, cujus nomine tractatio illa inſtitueretur. Suis litteris ad conciliandum Auſtriaci animum, robur defuturum metuebant Patres, & Jacobo Duci Eboracenſi, pro eo quo ardebat Regis Fratris amore, conſilia ſua nondum aperuerant. Confictæ tandem litteræ *Jacobi* nomine ſubſcriptæ, Colemanno notas efformante, & Strangio adulterinum, quod penes ſe habebat, Ducis ſigillum imprimente: ut propterea Oates tanquam Patrum Societatis & Ducis Legatus Madriti exciperetur. Negotiationis hunc fuiſſe exitum, ut Auſtriacus quadraginta hominum millia adpromitteret, qui rebus maturis, mentito Peregrinorum Sancti Iacobi habitu in Angliam trajicerent. Remenſo mari, in Angliam inquit, vix appuleram, cùm rurſus jubeor in Galliam navigare; & Audomaro iter arripiens ſub finem Decembris, cum Patre Chaiſio Pariſiis egi, ut Rex Chriſtianiſsimus operi tam pio manum commodaret: quod haud dubiè ſe facturum ſpopondit, cùm Oates alibi exercitum recenſeat à Galliâ ſubmittendum, licet Ducum nomina ob imperitiam linguæ memoria non retineat.

Fœdere juncti Principes, duplici Oatis legatione.

Digitized by Google

Ieſuitarum congreſſus ad inſigne equi albi Aprili vel Maio.

Rebus ita compoſitis, ut ſecuriùs ſe ad opus accingerent, Ieſuitæ rem communi conſilio ſtatuere aggreſſi ſunt, indicto ad vigeſimum-quartum Aprilis, vel juxta ſtylum novum ad quartum Maii, ſolenni Patrum Congreſſu, quem Oates Conſultationem vocat. Convenêre ad dictum diem Jeſuitæ quadraginta aut quinquaginta, & in publicâ Cauponâ ad inſigne Equi Albi in Plateâ *Strand* nuncupatâ, comitiis initium dedêre. Inter cæteros ſe citatum dixit Oates, ac mare trajeciſſe octo aut novem ſociis comitatum, quos inter numerat Ioannem Warnerum, Robertum Brettum, & Thomam Præſtonum, quos ſæculari titulo Equites Auratos vocat. Porrò cum fuiſſe hujus ſcopum Congreſsûs, ut Regiæ mortis decreto omnium ſuffragiis confirmato, de illius inferendæ tempore & modo deliberarent. Quibus peractis, abruptoque cœtu tam publico, Patres in minores abiiſſe, his ad Provincialis, aliis ad Waringi, & Fenwicki cubicula ſeſe conferentibus, ubi confectum de re omni inſtrumentum, Oate ad ſingulos cœtus illud deferente, ut omnium chirographo firmaretur. Tunc in Provincialis conclavi conveniſſe denuò omnes, ubi audito Sacro, ac Cœleſti Pane refecti, de ſervando ſecreto ſolenne jusjurandum dixêre.

Cœtus alius in Auguſto menſe, quo actū de pecuniâ colligendâ.

Porrò Cœtum alium huic non abſimilem, Menſe Auguſto habitum deſcribit, cui non Ieſuitæ modò interfuiſſent, ſed ex cæteris Religioſis Ordinibus Viri præcipui. Actum hîc de pecuniâ ad belli nervum faciendâ. Sena librarum millia promiſiſſe Benedictinos: Dominicanos & Carmelitas inopiam cauſatos in rem communem nihil conferre potuiſſe, ſed hos precibus, illos præſtitâ operâ, manuque commodatâ negotium promoturos. Ieſuitarum divitias in immenſum exaggerat: habere eos in numeratâ librarum centies mille, præter reditus annuos librarum ſexageſies mille, quam omnem pecuniam grandibus uſuris occupabant, dimidium ſortis quotannis pro fœnore exigendo. Nè porrò fons hic aureus exareſceret, Ieſuitas etiam mercaturam exercere, & ad expiſcandas aliorum divitias Amanuenſium munere fungi, ut

Digitized by Google

teſtamentis, ſimilibusque conſtabiliendorum bonorum inſtrumentis perlectis & deſcriptis ſciant quantùm quiſque in rem communem conferre poſsit. Exteros non defuiſſe in nervo belli ſuppeditando: Summum certè Pontificem octoginta ſcutorum millia ſubmiſiſſe: dena librarum Anglicanæ monetæ P. Chaiſium, totidemque P. Hieronymum de Corduba, Novæ, ut eam vocat Oates, Caſtellæ Provincialem. Quid à Catholicis Anglis corraſum fuerit non exponit Oates, Author in cæteris accuratiſsimus. Illorum liberalitatem deſideratam non fuiſſe, vel indè colligas, quod ditiſsimos quoſque, ſuæ Conjurationis affines fecerit, fucum eâ accuſatione pariter facturus. Certè Judicum unus pro Tribunali diſertè pronunciavit, credere ſe vix quemquam è ditioribus Catholicis huic Conſpirationi implicitum non eſſe.

Tunc bellicum apparatum deſcribere aggreſsus, terrore complet omnia Oates, educto in campum exercitu hominum millium ferè ducentorum. Conſcripta enim ait in Hiberniâ Auſtrali fuiſse viginti Peditum, quinque Equitum millia; in Boreali verò quà Equitum, quà Peditum alia quindecim, quibus armandis ſubmiſsa ex Angliâ oblonga, ferroque præfixa haſtilia ad quadraginta millia. His adjunxit ex Scotiâ millia viginti ex Catholicis, & Regi malè affectis Sectariis. Utrobique militem tam ab omnibus eſse inſtructum ut in campum prodire poſset, cùm liberet Regi Galliæ exſcenſionem cum copiis facere, cui in utroque Regno portus commodos occupaſsent. In communi causâ ſegnior eſse Anglia non debuit, neque verò fuit, ſi Oati credamus, & qui ipſi poſtmodùm acceſsêre. Londini enim conſcripta fuiſse militum millia viginti, adeò ab omnibus inſtructa, ut unius diei ſpatio ſub ſignis eſse poſsent. Militem in cætera Angliâ non enumerat. Dugdallus verò Regiorum teſtium alter, Exercitum Catholicum facit millium quinquaginta, quibus ſi Copias Hiſpanicas, & Gallicas adjungas, formidandam coaluiſſe Conjurationem, quivis judicarit, meritòq; Regi timendos Jeſuitas, qui res tantas ſummâ audaciâ aggreſſi ſint, tanto ſilentio perfecerint.

Bellicus Apparatus.

Digitized by Google

Jeſuitarum in formādâ rebellione induſtria. Rebus ita comparatis in formandâ rebellione laboratum, iis in familiari colloquio vel pro concione ſparſis, quæ ſubditorum à Rege animos abalienarent: Spuriâ ortum origine, nullo jure Regnum tenere, quod tyrannide, & novâ ad arbitrium regiminis formâ peſſundaret. Neque in Angliâ ſolùm ſpargi ſimilia, ſed per Germaniam, Galliam, Hollandiam, ut abrupto cum externis Principibus fœdere, nullum Rex ab illis auxilium ſperaret.

Patres accuſat Londinenſis incendii. His quæ Conjurationem Oatianam proximè ſpectant, recenſitis, omittendum non eſt illud inſani capitis delirium, quo Patres Societatis authores facit incendii Londinenſis, quo Urbs ſplendore & opibus florens, anno hujus ſæculi ſexageſimo-ſexto in cineres redacta eſt. Iam tum Patribus conſtitutum fuiſse ait Regem è medio tollere, flammamque Urbi ſubjectam, ut per eum tumultum conſilii exequendi anſam quærerent. Quare conductis operis octoginta, & ſociatis ſibi nonnullis quintæ Monarchiæ Sectariis, qui ſub ſolius Regis JESU vexillo militant, ſub initium Septembris ignem undique ſpargere aggreſſi ſunt, conſumptis eâ in re miſſilibus pulveris nitrati globulis ſeptingentis. Spargebatur horrendum in modum undique incendium vento voracem flammam in ædificia malè materiata (qualibus ea Urbis regio maximè conſtabat) deferente. Rex interea cum Eboracenſi Duce undique ſe inferebat, ut afflictos ſolaretur, modumque ſtatueret, extinguendo incendio maximè opportunum: Jeſuitis eo ſpectaculo perculſis, & commiſeratione tactis, mortem cui eum dudùm devoverant, inferre non audentibus. Magno tamen operæ pretio hoc ſcelus peractum, Patribus ad expilandas domos, & pretioſiſſima quæque corradenda intentis. Prædam poſteà in Hollandiâ divenditam, redactis ex lautâ & elegantiore ſupellectile, inſertiſque auro adamantibus librarum millibus quatuordecim.

Quomodò bellū inchoandum. Rebus jam maturis, bellum in Hiberniâ inchoandum, ſublato inprimis Ormondiæ Duce, qui pro Rege id Regnum adminiſtrabat, ejuſque auditâ morte, tanquam claſſico dato, ſumpturum arma

militem, ac cruentâ Proteſtantium ſtrage initium belli daturum. Pari modo in Angliâ, & Scotiâ agendum, illic Rege, hìc Lauderdaliæ Duce, qui Regno præerat, contrucidato.

Unde Oates hæc omnia hauſit?

Porrò ut dictis ſuis fidem faceret Oates quantùm fiduciæ in ſe reponerent Ieſuitæ, per totam narrationis ſeriem aperuit, atque inprimis à P. Oliva Societatis Præpoſito Generali factam ſibi dixit poteſtatem congreſſibus omnibus aſſiſtendi, litteras reſignandi, legendique, & in adyta Conjurationis penetrandi; quaſi ſtudiosè id agerent Patres ut Oatem hominem ignotum, neophytum, ac duobus Collegiis ignominiosè expulſum, nihil lateret, ut ſi fidem falleret, amplam eos accuſandi materiam haberet. Cæterùm hujus vi poteſtatis, vidiſſe ſe complures eorum litteras, variorum manibus ſubſcriptas, & ad varios datas, quibus nunc rerum agendarum modum, nunc negotiorum, vel obſtacula, vel ſucceſſum aperiebant: nunc moras increpabant, utque ſe operi quamprimùm accingerent, ſubditis à rei momento ſtimulis perurgebant. Hoc, supremâ authoritate, cum Jeſuitis firmato commercio, omnium ſe uſum familiaritate, atque in Benedictinorum, aliorumque etiam Religioſorum notitiam veniſſe, cunctis ſibi res maximè arcanas ſine hæſitatione communicantibus: ut proindè eorum dicta, factaque omnia obſervandi anſam nactus fuerit. Audiſſe ſe Conjuratorum in Regem impia verba: ſeditioſis concionibus interfuiſſe: ſicas, quibus Rex conficiendus erat, vidiſſe: cunctis ſua conſilia Oati aperientibus, tanquam arctiſſimo fœdere in promovendâ Conjuratione reliquis conjuncto.

Ejus cū Ieſuitis cæteriſq; familiaritas.

Oates corā Curiâ ſuperiore eadem repetit,

Ubi hæc Oates coram Curiæ Inferioris Proceribus fuſius expoſuiſſet: petitâ, promiſſâque Senatûs protectione, dimiſſus, ac poſtremo Menſis die in Superiorem Curiam evocatus fuit. Ubi ad Aulæ Subſellia conſtitiſſet, Comes Shaftsburius, Oatem intuitus: *Macte*, inquit, *animis, non enim aures ſolummodò afferimus, quibus à te dicta percipiamus, ſed corda etiam, quibus fidem dictis habeamus.* Uno teſte, nec parte alterâ ad defenſionem admiſſâ, tot innocentes

haud dubiè cȯndemnaturus ſi per eum ſtetiſſet. Ubi eandem cantilenam Proceribus cum plauſu occiniſset, juſsus eſt ſequenti die rurſus comparere, quo tempore illuſtre ſuæ veracitatis ſpecimen dedit. Productò enim ad ſubſellia Dom. Marco Præſtono, an eum aliquo crimine accuſaret, interrogatus: Iſte, inquit, Sacerdos eſt: & in accuſationis fidem ſubjungit, ſe ſua ipſi ſæpius peccata confeſſum. Obſtupuit enormi hominis perjurio Præſtonus, ſtatimque accuſationem disjecit, non ſolùm aſſerendo, ſed imploratâ teſtium aliquorum fide probando ſe virum eſse ab undecim annis conjugatum, & ex uxore etiamnum ſuperſtite varios liberos ſuſcepiſse: Ut è primariâ Vir Nobilitate cum juramento dixerit *Næ iſte, ſi liberam ei faciamus jurandi poteſtatem, Conjurationem noſtram evertet.* Tunc explicatis hoſpitii incommodis, & rei pecuniariæ anguſtiis, petitoque ut ſibi contra Papiſtarum rabiem Cuſtodes corporis apponerentur: ex Cancellario audivit, commiſsum Duci Monumetenſi à Senatu eſse, ut ipſius contra vim omnem ſecuritati invigilaret: Aulæ Præfecto, ut de commodiore habitatione proſpiceret: ac demùm Supremo Quæſtori, ut inopiam levaret. *Vſque adeò iniquis proſperè omnia ad tempus fluunt.* Sed brevi Oatem, ampla Aulæ Candidæ ſpatia, carceris anguſtiis commutantem videbimus.

& perjurii convincitur.

Viri nobilis de eo dictū.

Variorū cura cōmendatur.

Cùm Angliæ leges binos minimùm, ut Rei juridicè convincantur, teſtes requirant, in auras abiiſset Oatiana Conjuratio, niſi Altanti huic ad tantum pondus ferendum Hercules alter ſucceſſiſſet. Neque diu quærendus fuit par oneri vir. Bedlous enim totius negotii fundum tentaſse ſe jactabat, quia animum afferebat ad quidvis jurandum paratiſſimum: gnarus commodiorem eo tempore ſplendidè, opiparèque vivendi rationem, non poſse inſtitui, quàm auxiliarem Catholicorum hoſtibus manum præbendo, à quibus probè de accuſationis capitibus inſtructus, in Curiâ Superiore duodecimo Novembris, anno 1678. juſsus comparuit, & in hanc ſententiam locutus eſt.

Beldous Oati additus.

Miſsum

Miſſum ſe fuiſſe Audomarum ab Anglarum Monialium Antiſtitâ (ſua ſcilicet in hac Conjuratione deeſſe non debuit Fulvia) cum litteris ad Thomam Præſtonum Equitem Auratum, quibus (eas enim in viâ aperuerat) ſignificatum fuit Bedloum virum ſtrenuum, aptum eſſe qui conſiliorum particeps &.adjutor fiat. Ab Audomarenſibus miſſum ſe fuiſſe Antuerpiam, indè Duacum, ac demùm in Angliam, Sacerdotibus tam è Clero Sæculari quàm Regulari ipſius fidem tentantibus, ac ſervandi ſecreti ſacramento ſæpiùs obligantibus. Tunc in omnia arcana penetraſſe ſe, concitandam ſcilicet Rebellionem, quâ refloreſceret in Angliâ Religio Catholica, & Angli corpore & animo felices reddantur. Rebus ad exitum perductis, Religioſæ Domus ſeptis Regem includendum, faciendam authoritate Romanæ Eccleſiæ alteri regnandi poteſtatem, qui ſi, ut putabant, Regnum tali conditione oblatum, reſpueret; rerum adminiſtrationem, Comiti Powiſio, & Baroni Arundelio committendam. Curam regendi belli Bellaſio, Petrio Baronibus, & Ratcliffo Equiti Aurato datam. Huic impoſitum ut Boreali Angliæ parti invigilaret, dena militum millia, qui ex Belgio expectabantur, exciperet, & fortiſſimum Hullenſis Civitatis præſidium, fraude & proditione occuparet. Powiſio verò & Arundelio, ut Auſtralem Cambro-Britanniam inſiderent, & cum viginti aut triginta Peregrinorum millibus, qui Compoſtellâ expectabantur, copias conjungerent. Horum ſe conſcium fuiſſe ante detectam conjurationem, cætera oblato cum ampliſſimâ benedictione ſecreti ſacramento ex Jeſuitis exindè didiciſse; atque inprimis Regis tollendi conſilium, & facinoris à Conyero Benedictino peragendi modum, dum Rex mane ad auram Neo-Markeſii prodiret: tum variis aliis, Sacerdotum præcipuè manu, trucidatis, dubium non eſse ſe ſuperiores fore; nulli, qui Fidem Catholicam non amplecteretur parcendum, quamvis eſsent ſanguine junctiſsimi; formando novo regimini ſatis eſse proſpectum. Quæ de morte Godefredi Irenarchæ effutiit, commodior inferiùs narrandi refutandique locus dabitur.

Quorum Catholicos accuſet.

Digitized by Google

Quâ ubique induſtriâ laboratum, ut conciliatâ commentis Regiorum Teſtium fide, Catholici obruerentur. Panicus Proteſtantium metus, verum timorem Catholicis, ac præſertim Sacerdotibus incutit.

Oate audito, plures in carcerē conjecti.

SED ut Hiſtoriæ filum reſumamus, auditâ iniquorum delatorū criminatione, Superioris mandato Conclavis, complures ex Nobilitate Catholicâ juſsi in carceres detrudi. Innotuerat, (ut ferè ſolet, quæ in tanto aguntur conſeſſu) quos illud Mandatum ſpectaret; at quamvis de periculo moniti, ſubduxit ſe nemo, ſed Comitibus Powiſio, & Caſtello-mainio, Arundelio & Bellaſio Baronibuss domi Accenſos præſtolantibus, Vice-Comes Staffordiæ, & Baro Petrius vel Senatui vel Supremo Pacis Præfecto ſpontè ſe obtulerunt; atque omnes, varios primùm in carceres diſtributi, mox ad Turrim Londinenſem ducti ſunt: illuſtri ſuæ innocentiæ teſtimonio, quæ æqui Judicis Tribunal nunquam reformidat; cùm contra, patrati criminis conſcientia fugam & latebras ſemper conſectetur.

Pergit intereà in ſuſcepto opere Senatus, & quia vel Catholicos timuit Fabulæ Oatianæ fidem adhibendo, vel videri voluit timere, ut publico ab eorum machinationibus caveatur, ſtrenuè adlaboravit. Atque inprimis Prætorianæ Cohortes Papiſtis, aut Papiſmo faventibus expurgatæ. Urbs Londinenſis & Weſtmonaſterienſis, armato milite cuſtodiri juſsa; Catholici Londino expulſi, prohibitique ne intra decimum ab Urbe lapidem, niſi factâ certis conditionibus poteſtate, accederent; utque majore Regni ſecuritate, certior de illis reddi ratio poſset, vetitum ne ultra quinque paſsuum millia à domo quiſque ſuâ diſcederet. Satis ſecuritati publicæ hac arte proſpectum videri poſset, cùm ecce majoris diligentiæ ergò decretum eſt, exarmandos toto Regno Catholicos, ut omni telorum genere nudati, ſi ſiniſtri aliquid moliri velint, certè non poſsint. Hæc omnia flagitante Senatu, ac Rege variis Edictis jubente, executioni mandata ſunt. Ut porrò juſtis de cauſis tantâ uſi curâ viderentur, Curia Inferior trigeſimo-primo Octobris, & poſtero die Superior, ſolenni decreto pronuntiarunt: *Credere ſe execrandam, & ab inferis excitam Conjurationem à Papiſtis factam fuiſſe, & etiamnum fieri, quâ Regem è medio tollant, Regimen convellant, ac Religionem Proteſtántium radicitùs extirpent.*

Senatus induſtria, & varia Regis edicta.

Senatus de Cōjuratione decretū.

Haud facile eſt dictu, quàm hæc Catholicos afflixerint, ac præſertim indicta ad ſeptimum Decembris Londino migratio, eoſque præſertim qui familiam in Urbe alebant, aut eò negotiorum causâ acceſserant, quæ omnia aut interrumpi, aut venalibus hominibus committi oportebat. Acceſsit ad malorum cumulum temporis brevitas, quod Edictum Regium trigeſimo Octobris editum, nonniſi octidui ſpatium, ad vaſa colligenda, rem familiarem, cæteraque ordinanda concederet. Promptiſsimè tamen paruerunt ferè omnes, eoque uſi ſunt ſolatio, quod plures haberent adverſæ fortunæ ſocios, qui debitam in Regem fidem olim probaverant, jamque communi fato opprimebantur, ne debitam Deo fidem fallerent. Nec minùs promptè poſtremum, cujus meminimus, Regis Edictū de Catholicis

Quàm hæc Catholicis gravia fuerint; præſertim indicta migratio.

Digitized by Google

exarmandis à Provinciarum Vice-Comitibus, à Pacis publicæ Præfectis, atque Urbium Prætoribus in opus deductum. Sed excuſſis Nobilium, aliorumque domibus, luſtratisque angulis, ac cœcis receſſibus, ne ea quidem armorum copia reperta, quâ ad Regni ſecuritatem per leges inſtrui jubebantur.

Captivi examinati. Hoc pacto omni qui à Catholicis incuti poſsit metu omninò liberi, ad eruendam è captivis Conjurationis veritatem converſi. Deputati eum in finem, qui ſingulos examinarent, & quid reſponſi darent, ad Senatum referrent. Juſsi ſunt hi cunctos *animare* promiſsâ ſpe veniæ, ſi ſe reos faterentur, modò rei totius ſeriem aperirent, & ſcelerum complices in lucem protraherent.

Omnia pernegant. Liberrima erat omnium reſponſio, ſe de Conjuratione, antequam illius fama totâ Angliâ diſperſa eſſet, nil omninò reſciſſe: nihil in Regem, Regnumque ſiniſtri cogitaſſe, nedum eorum ſcelerum, quorum accuſarentur reos eſſe. Hæc unâ cuncti voce, Deo ſervos ſuos conſtantiâ armante, ne vitæ, aut grandium ſpe promiſſorum quicquam Catholico Nomini indecorum agerent: & quamvis complures carcerum illuvie confecti, aut extremo affecti ſupplicio eſſent, ad extremum, & quaſi ante Supremi Judicis Tribunal conſtituti forent, fortes in pernegandâ conjurationis conſcientiâ perſtitêre.

Teſtibus augendis ſtudent Catholicorum hoſtes. His ex animi ſententiâ non ſuccedentibus, Catholicorum hoſtes duo aggrediuntur; primum ut teſtium numerus, quaſi redintegratâ cohorte, novo aliorum acceſſu augeatur; alterum, ut omni modo firmam factæ conjurationis fidem ubique ſuſtinerent. Ut quod primo loco decreverant, meliùs exequerentur, Senatus libello ſupplici à Rege poſtulat, ut propoſitâ ſcelerum impunitate, & amplâ mercede ad ea quæ de Conjuratione cuncti ſcirent, declaranda inducerentur. *Promiſſis,* Annuit Rex, & Edicto publico libras vicenas delatoribus adpromittit. Hoc hamo captus Stephanus Dugdallus, quem Aſtonus Baro, cujus erat Oeconomus, ob rem familiarem malè adminiſtratam de pecuniis repetundis poſtulaverat,

Digitized by Google

& in carcerem conjecerat. Is hoc Edicto libertatem nactus, Londinum advolat, atque inter cæteros Herum ſuum Aſtonum, Franciſcum Everium è Societate JESU, ac Vice-Comitem Staffordiæ-proditionis inſimulat. Eâdem eſcâ illecti Moubræus, Boltonus, aliique Angli, in quorum auxilium ex Hibernia, non aurâ ferente, ſed auri ſpe delata eſt nubes teſtium, quo in genere fuêre Mac-namarra, Fitz-Geraldus; Fitz-Harriſius, & alii ſolo nomine formidandi. Sed cùm grandia promiſſa non æquè apud omnes valerent, his etiam minæ additæ. Hoc pacto inductus Corallus Rhedarius, Milo Prancius Aurifaber, Smithæus Ludimagiſter Iſlingtonienſis, aliique. Hunc Oates de conſcientiâ conjurationis accuſarat, & ſcholâ undè vivebat, exuerat, non illi ampliùs reſtituendâ, *niſi*, ut ait Shafteſburius Comes, *in virum honeſtum evaderet*; leni adeò voce virum intelligens, qui ruptis honeſtatis repagulis ad opprimendos perjuriis innocentes, ſe ſceleratorum hominum nutibus accommodaret. *et minis.*

Quibus artibus firmata conjurationis fides.

Ad ſecundum quod attinet, longum foret omnes factioſorum artes percurrere, quibus ad confirmandam in omnium mentibus factæ conjurationis fidem uſi ſunt; paucis nonnullas dabimus. Datum initium à flagitioſâ libellos famoſos cudendi licentiâ, quâ fanda nefanda de Catholicis, ac potiſsimùm de Ieſuitis toto Regno diſperſa: Religionem ſanguinis ſitientiſsimam Papiſtas profiteri; diſpenſatione Romani Pontificis omne ſcelus perpatrandi facultatem habere: ut Fides Catholica reſtituatur, etiam Regum nece, & Proteſtantium ſtrage, Cœlum & Martyrii lauream comparari. Habita deindè probroſas imagines, ſivè coloribus depictas, ſivè æri inciſas, excuſaſque palam exponendi cura. His Papiſtarum cruenta facinora, his clandeſtinæ artes, & deliberationes ſecretiores, vel præſidente Dæmone, vel omnia pro nutu regente depingebantur. Statuarum etiam uſus in Supplicationibus publicis frequenter adhibitus. Hæ ſolenni pompâ circumlatæ conjurationis faciendæ & exequendæ rationem exhibebant, ut ſuggerente ſemper Romano Pontifice, ita tandem in

Digitized by Google

ſceleris pœnam, flammis in effigie dato. His artibus dementata plebs omnia teſtium oracula avidè arripiebat, credebatque, ut ſi quis hæſitaret, vel verbo eorum dicta vocaret in dubium, is ut conjurationis particeps haberetur, variis hâc de causâ in carcerem conjectis.

Falſi rumores. His adde, quâ ad ſuſtinendam fabulæ fidem, vix alia fuit potentior machina, falſos rumores diſſeminandi induſtriam, dum Boreales Auſtralibus, hique viciſsim illis ſe per litteras edoctos ſignificant manifeſta in illis partibus conjurationis detecta eſſe indicia; quâ fiebat arte, ut cùm nullibi appareret umbra periculi in locis ſaltem remotioribus, verè trepidari crederetur. Quâ in re eò audaciæ devenêre nonnulli, ut ipſis Superioris Curiæ Senatoribus ſimiles nænias occinerent; numeroſum noctu militem per vias publicas pròceſsiſse; luſtratas ad Lunam copias, licet undè veniſſent, aut quò tenderent, nullo conſtaret indicio. Harum rerum fama ubique diſperſa, fidem à pleriſque obtinuit, & ab artium ſimilium ignaris planè extorſit. Hinc armari totum Regnum, cuncti timore percelli, & nonnulli ad levioris auræ ſibilum exhorreſcere, quòd inſtare Papiſtas crederent, & Proteſtantium jugula ſicis petere. Enimverò magnæ Vir authoritatis palam edixit: *Nunquam ſe cubitum ire, quin vereatur ſe præſectis cervicibus mane reſurrecturum.* Si hæc tantâ Proteſtantium conturbatione evenerint, facilè ſtatuetur quàm graviter Catholicos afflixerint.

Quæ toto regno Catholicorum, Dum hæc Londini præcipuè agerentur, toto jam Regno vulgata erat Conjurationis fama, cùmque variis quà Regis Edictis, quà Decretis Senatus ſpargeretur malum hoc, non unius anguſtiis Urbis circumſcribi, ſed toto Regno graſſari: ut ſuæ publicæque ſaluti conſulerent Provinciarum Præfecti, vias omnes, omneſque viarum anfractus armato milite inſident, qui excubias noctu diuque ſedulò agentes tranſitum omnem ignotis intercludebant. Accidit ea res multis Sacerdotibus permoleſta. Plurimi enim, ne Patronis, quorum ædibus benevolè excepti fuerant, quicquid moleſtiæ crearent, ſpontè

ac præſertim Sacerdotum conturbatio.

abeuntes per avia & devia, periculoſiſſimis itineribus alibi refugium quærere coacti ſunt, & diverſâ fortunâ uſi; hi (quorum numerus iniri exactè non potuit, plurimos certè fuiſſe conſtat) deprehenſi, ac in carcerem raptati: alii ab imperterritis in Dei causâ Nobilibus ad ſuas ædes invitati, non minori excepti fuêre fortitudine, quàm tractati benevolentiâ; fuêre certè qui quinos, vel ſenos, imò & terdenos hoſpitio exceperunt: quadragenos, ut aiebant, benignè amplexuri, ſi eo numero confluerent. Si horum noſtræ ætatis Heroum nomina (quod id tempora non ferant) perituræ chartæ monumentis non inſcribamus, confidimus certè faſtis addenda æternitatis. Conſtabit enim Chriſti oraculo veritas, qui ſuis in tremendo judicii die dicturum ſe adpromiſit: *Poſſidete paratum vobis Regnum, hoſpes enim eram, & collegiſtis me.* *Quorundã Nobilium eximia pietas.*

Inter eos qui ſolum vertere coacti ſunt, P. Joanni Gavano id duplici titulo neceſſarium fuit, Sacerdotii, atque Edicti Regii, quo ut conjurationis affinis capi, ac in carcerem tradi jubebatur. Quare depoſitâ vulgari veſte, ac colorato famulorum habitu aſſumpto, in viam ſe dedit, majorine dicemus audaciâ an ſucceſſu? Certè per tot viarum difficultates eluctatus Londinum ſoſpes pervenit, ubi aliquando inter famulos Oratoris Cæſarii delituit. Sed captus tandem (quo indicio incertum) ac in carcerem Portæ Domus Weſtmonaſterienſis amandatus eſt. Pari fortunâ Londinum delatus eſt P. Antonius Turnerus, fugam ulterius arrepturus, ſi quem è ſociis reperiret, qui in viæ ſubſidium nummos pauculos commodaret. Sed re ſæpiùs irrito conatu tentatâ, in plateas egreſſus, puero, quem primùm obvium habuit, Heus, inquit, an quis in viciniâ degit Pacis Præfectus? Ad ejus, quæſo, ædes me deducito, cui amicè annuenti, en inquit, ſex obolos (plus enim mihi pecuniæ non ſuppetit) & obviis ſignifica, te Jeſuitæ occurriſſe, qui ne fame pereat, ſe ſponte Cuſtodiæ mandat; tum ad Præfecti ædes deductus ad Novæ-Portæ carcerem mittitur. *P. Gavani fuga & captivitas.* *Dedit ſe P. Turnerus.*

Sub hoc tempus P. Thom. Momfordus, gnarus ſe Senatus mandato ad carceres conquiri, licet tuto, & quo ſatellitibus non patebat aditus, *& P. Th. Momfordus.*

Digitized by Google

loco habitaret, ut par Chriſtianæ conſtantiæ exemplum ederet, quo fidem in Regem, exhibito litterarum proditoriarum faſciculo, nuper probarat, ſe ſponte Gulielmo Scroggio Equiti Aurato, ac Supremo Pacis Præfecto exhibuit, ejuſque juſſu ad Portam domus miſſus eſt.

Pia Captivorum occupationes,

Priuſquam ad alia digrediamur juverit Captivorum (quorum numerus indies auctus) pias occupationes, & plenas lætitiâ mentes pauliſper contemplari. Inter anguſti carceris ſepta concluſi, cùm nullam à conſortio amicorum, vel gratâ, quæ humanam mentem præcipuè levat, rerum varietate, ſolatii partem acciperent, erecto ad Deum animo, conſiderare divina, & vale terræ dicto, ad cœli gaudia aſpirare cœperunt. Hinc orationi præcipuè ſe dare, dieſque fere totos ſacris precibus impendere. Certè Cuſtos carceris Novæ-Portæ interrogatus quid de Proditoribus ſuæ curæ commiſſis judicaret. *Hercle*, inquit, *ego viros illis ſimiles non vidi; nunquam enim illorum cubicula ingredior; quin, contra hujus loci conſuetudinem, genibus nixos & orationi intentos deprehendam.* In eo quorundam ſors feliciſsima fuit, quod vicinis incluſi cubiculis Sacerdotes, & Laici, exiguo in parietibus facto foramine, ſacro Miſſæ Sacrificio quotidie intereſse, & Cœleſti Pane frequenter refici poſsent. Ubi menti relaxandæ ſpatii aliquid dandum erat, pio ſtudio vacabant, & pangendis ſacris verſibus tempus terebant. Hoc in genere typis commiſsæ Baronis Arundelii, Harcotti Provincialis, & Langhornii Advocati piæ conſiderationes, illuſtre raræ pietatis ſpecimen dant. Suis deliciis pugnantes in terris milites ſuos carere raro patitur Cœleſtis Imperator; imò quo magis à rebus caducis eorum animos abducit, eo majore ſupernæ lætitiæ copiâ ad patiendum excitat, animatque. Carceres certè Anglicanos eâ redundaſſe, è captivorum vultu, & verbis abundè patuit: certè miſeriarum quibus premebantur, ferè obliti, de ſociis, libertate gaudentibus ſollicitos fuiſse, luculenter oſtendunt litteræ, quas latinitate donatas, hic ſubjicimus. *Perſuaſum mihi eſt, fore ut ſi qui videntur animo deficere, & in ſuo erga Deum officio vacillare, induci poſſent, ut crederent iis, qui*

& deliciæ.

morte

morte ſecluſâ, graviſſima quæque paſſi ſunt, potiùs fræno egerent, ad nimium patiendi ardorem moderandum, quàm vi oratoriâ ad conciliandum animi robur, quo confirmari Chriſtianum, & Chariſſimi, Beatiſſimíque Redemptoris Imitatorem decet. Ut de me ipſo, iiſque, qui in eundem mecum carcerem compacti ſunt, reſpondeam, Deus per hoc afflictionis tempus, largâ potiùs, quàm parcâ manu, ſua in nos ſolatia effudit, hoſtium etiam, quorum patebant oculis, cum eximio fructu. Hæc experientia ſolicitum me reddit de ſociis, & ſimilium malorum conſortibus, qui liberi extra carceres degunt; neque dubito quin eadem benigniſſima Bonitas pro ſuâ miſericordiâ, benedictionis ſuæ dulcedine, amarum ipſorum calicem temperatura ſit. Hæc ille poſt decem menſium arctiſſimum carcerem: quæ hominis verba Regis necem meditantis, & non animæ cæleſtia gaudia deguſtantis vota eſſe, nemo ſapiens judicabit.

Nunc ad Sacerdotes alios toto Regno latitantes, & clam Catholicos ad ferendam perſecutionis vim ſuo exemplo animantes tranſeamus. Erant hi ſtatu perquàm luctuoſo, quod furibundus Satelles omnia perrumperet, non exiguâ mercede donandus, ſi Sacerdotem quempiam è latebris erueret. Commodùm ad ipſorum ſivè iram, ſivè avaritiam inflammandam prodierat Edictum Regium, quo in ſingula Sacerdotum capita vicenæ libræ conſtituebantur, regiâ fide illi certò pendendæ, qui aliquem caperet, vel ita certis proderet indiciis, ut capi poſſet. Juſto minor quibuſdam viſa eſt merces Patrem è Societate JESU ad vincula rapienti; quorum proindè conſilio, haud ita poſt, factum ut, quos majori habebant odio, eos pluris æſtimarent, ſtatutis in ſingula Jeſuitarum capita libris centum. His promiſſis ad Sacerdotum venationem ex ſe ſatis prona, magis excitata eſt Apparitorum induſtria. Inquirunt diligenter quæ loca frequentent; & arreptâ minimæ ſuſpicionis anſâ in Nobilium ædes vi viam aperiunt, ac variis locis domos ferè dejiciunt, ut cœcos parietes, & apta tegendis piis Viris latibula detegant. Factum hac ſedulitate, ut carceres toto ferè Regno Sacerdotibus implerentur. Sed quos Divina Protectio ad alia reſervabat, ii loco non impari,

Sacerdotum extra carceres cōditio, *& pericula.*

Digitized by Google

imò pejores eſſe videbantur, dum omnia etiam tuta timerent, quod nullibi ſe tutos eſſe poſſe exiſtimarent. Hinc apud Proteſtantes aſylum frequenter quęrere, in aggeſto fœno ſe condere, & gelidâ hyeme denſis in ſylvis latitare, conſcitâ indè aliquibus morte, aliis acceleratâ. Sed nec tutum ad ſylvas refugium, quas alicubi indagine cinctas, & odorâ *Sylvæ excuſſæ.* canum vi excuſſas fama eſt. Certò conſtat eâ barbarie in ſylvâ Boſcobellanâ uſum nonneminem, licet opaca quercus, cujus ſinu Carolum ſecundum contra inſequentem Cromvelli militem protexerant Catholici, conſtantis illorum in Regem fidei memoriam refricaret. Sperabat ſe Acteonem quendam humanâ quidem ſpecie, ſed peregrinâ latentem veſte, magno lucro, ſi Jeſuita eſſet, eruturum. Nec longè aberat præda: quam ut certiùs excitaret, priùs lùſtrandam ſibi cenſuit Chillingtoniam Domum, quæ propter ſylvam ſita eſt. In hoc nocturnum Regis aſylum, effronti audaciâ ingreſſus, cùm ad cubiculum regio latibulo nobile ventum eſt, frendens loci Dominus, *An*, inquit, *explorare cupitis hîcne Rex denuò deliteſcat?* Pudore ſuffuſus Apparitor ad aliud conclave ſe contulit, cùm erumpens è latebris, qui ſe iis fortè condiderat è Societate JESU Sacerdos, ad ſylvam profugit; ubi tamen diu tutò illi eſſe non licuit, accurrentibus levi accepto indicio Apparitoris ſatellitibus, ac omnes receſſus gnaviter excutientibus. Sed Pater eos eminùs conſpicatus, aliò deflexit, per avia & devia diſcurrens, atque inſequentes nonniſi exiguo intervallo procedens diu eluſit, donec noctis beneficio in locum tutum evaſit.

Guliel. Walleri Equitis geſta, Sed nefas eſſet in hoc Commentario Gulielmi Walleri Equitis Aurati, dicemus, an Militis glorioſi res geſtas præterire. Hic celebre ſibi nomen parere aggreſſus, factâ poteſtate, Catholicorum ædes vi perrumpit, abdita quæque perluſtrat, ſacræ Supellectilis vim magnam corradit, aliaque his ſimilia ſtudioſè patrat: non aliud crepans, quàm Regis, & Religionis Patriæ tutandæ ſtudium. Sed aliò *& conſilia.* Walleri ſpectaſſe conſilia, certum eſt. Rebelli enim Parente genitus, malè peſſundatis, quas ille malè coacervarat, opibus, ad æs alienum quò tunc gravabatur, diluendum, opportunum quærebat ſubſi-

Digitized by Google

dium. Quare ſi in Catholicorum, quas excutiebat, domibus nummos aureos reperiſſet, in eos tanquam numiſmata Papiſtica, rapacem manum injiciebat, ſimili arte ex auro adamantibus intertextis armillas, & uniones filo inſertos, ſuperſtitioſas ſundendis precibus coronas vocitans, in laboris pro bono publico ſuſcepti ſtipendium ſibi vendicabat. Sed ad captandam plebis gratiam illuſtrius aliquid moliri tandem ſtatuit. Pretioſa quæquæ ad Altaris ornamentum, ac præcipuè pias Imagines, & ſacras Sacerdotum Veſtes, quarum vim magnam corraſerat, ſolenni ritu, flammis dare in animum induxit. Locum ſpectaculo delegit, aream cui à Palatio Weſtmonaſterienſi nomen. Huc faſces complures congerit, ac pyræ artificioſè inſtructæ ſacram Supellectilem circumdat, & coronidis loco, præcelſum Chriſti è Cruce pendentis ſimulachrum ſuperimponit. Tum convocatâ, avidèque ad ſpectaculum concurrente plebe, facem accenſam ligno admovet, quod flammâ conceptâ molem totam in cineres redegit. Applaudebant quibus Sacra omnia odio ſunt, & feſtivis circa pyram tripudiis, quaſi de domito Papiſmo triumphum agebant. Fremebant intereà boni omnes, ipſique adeò Proteſtantes, atque Chriſtum in effigie flammis datum, indigniſſimè ferebant. Certè ſi quis eo tempore Shaftsburii Comitis (erat is factioſorum Dux, & factioſis omnibus in deliciis) imaginem indignis modis tractaſſet, ut boni publici hoſtis pœnas luiſſet: is ſcilicet partium formandarum fructus, ut hominem perſæpè Deo præponant. Sed Wallerum illata Chriſto injuria non tangebat, modò plebis gratiam obtineret, cujus poſtea ſuffragiis inter Inferioris Curiæ Senatores cooptaretur.

Impium ejus factum.

Illud ejus inventum planè ſingulare, quo conceptam Conjurationis opinionem fovere niſus eſt. In domibus quas expilabat, chartas ſeditioſo argumento conſcriptas, & alia quæ fucum plebi facerent, condebat ipſe. Poſt diſceſſum, quaſi novo cœlitùs inſtinctu concitatus, regrediamur, inquit ſociis, certum enim locum non ſatis exploravi: quo rurſus excuſſo facilè reperit quæ ibi repoſuerat. Hac arte è farinæ dolio ſcripta eruit, quibus Catholicos fingit, quam

Et artes improbæ.

Digitized by Google

ipſi feciſſe accuſantur, in Presbyterianos conjurationis invidiam conjicere voluiſſe. Eadem fraude ſclopum quo Pickeringus ad Regem conficiendum ſe inſtruxiſſe dicebat, è plumis extraxit, Regique exhibuit.

Dum hæc per varias Angliæ Provincias geruntur, Londinum nos revocat Senatus, ejuſque deliciæ Titus Oates, cujus inquietum ingenium nullos ſuæ malitiæ terminos pati potuit. Hujus jam eò uſque crevit authoritas, ut quidlibet audere impunè poſſet. Certè nemo eo uſque proceſſit, qui non omnes modeſtiæ, imò rationis limites exceſſiſſe diceretur. *Oates jurat neminem alicujus notæ præterquã quos nominaſſes, conjurationi implicitum.* Rogante enim Senatu, nunquem dignitate aliquâ eminentem præterea ſciret Conjurationi ſe immiſcuiſſe? re maturè perpensâ, & ſolenni jurejurando interpoſito, nullum amplius toto Regno noſſe ſe reſpondit qui illius particeps eſset. Tamen haud ita multò poſt ſecretò aliquid muſsitare, & tacitè innuere, ſupereſſe quædam quæ ſcire Senatus intereſſit: Poſtulare ſe propterea ut venia ſcelerum, quam Rex ad certum diem illi benignè conceſserat, ulteriùs extenderetur; tunc ſe tutò prompturum quæ habebat dicenda. Annuit denuò Rex, & parem gratiam Bedloo facit, Senatu id etiam flagitante. Cùm poſtridie uterque attoniti hærere, & Regis periculo exhorreſcere, quod viperam ſinu foveret: ac tandem palam pronuntiare *Mox Reginã accuſat.* Reginam Regis vitæ inſidiari, excitato Wakemanno ad venenum illi porrigendũ: infami enimverò perjurio, niſi Reginam dixeris nullâ dignitate eminere. Heroinam illam Oates, probroſis dudum verbis proſciderat; ſed à tanto ſcelere ipſi affingendo prohibuit Regii Tori reverentia, donec à Parente Samuele Oate admonitus eſt, ut auderet porrò accuſare Fæminam (eâ voce poſtea Reginam dixit intelligi) *Arctè cuſtoditur, ſed intercedente Senatu in libertatem aſſeritur.* non defuturum Bedloum, qui idem teſtaretur. Excanduit Rex Oatis, qui Dux erat ſceleris, immani audaciâ, ſtatimque juſſit, omni cum aliis interrupto commercio, arctâ cum cuſtodiâ detineri. Sed interceſſit illicò Curia Inferior, neque finem fecit Regem libellis ſupplicibus interpellandi, donec Oates priſtinæ libertati reſtitueretur. Quin etiam actum in eâdem Curiâ de removendâ à Regis latere Reginâ; ſpar-

Digitized by Google

ſumque eſt, dum in Superiori Curiâ de divortio Regis cum Reginâ faciendo, ſermo fieret, dixiſſe Shaftsburium, non aliud quàm capitis cum cervicibus placere divortium. Tali in Reginam odio incenſum, mirum non eſt reliquis Catholicis gravius incubuiſſe Senatum. Enimverò ut magis magisque metuendos oſtenderet, ſtatuit Papiſtas removendos ab omni aquæductuum curâ, nè fortè aquas grandi Proteſtantium ſtrage veneno inficerent. Pyrobolos ad ignes feſtivos à Catholico factos, juſſit in turrim deferri, nè ſpargendo incendio, denuò adhiberentur. Sed hæc leviora. Conjecti in carcerem complures è primâ Nobilitate; ejecti Superiori Curiâ Proceres Catholici, in quâ ab omni retro antiquitate, jure Natalium, deliberandi ferendique ſuffragii prærogativâ fruebantur. Tum actio læſæ Majeſtatis Inferioris Curiæ mandato, Proceribus quinque, qui Turri Londinenſi concludebantur, intentata. Hæc à Senatu facta, propoſita grandiora, quibus creſcentem fidem in herba demeterent. Qualia ſunt, ut ſi quis Catholicæ Fidei nomen daret, navi impoſitus in Colonias Indicas transferretur; bonis omnibus, ſanguine proximè juncto, qui Eccleſiæ Anglicanæ adhæreret, ceſſuris. Tum ſi quis Catholicus officio alicui admoveretur, piaculum id fore morte luendum, quod non aliter quàm ſtatuto Senatus conceſſâ veniâ condonetur. Erat hoc jus Regis invadere, penes quem, ut adminiſtrandæ juſtitiæ, ita etiam reos pœnâ legibus irrogatâ liberandi, indubitata ſemper fuit poteſtas. His aliiſque permultis Regem graviter offendit Senatus, eoque vel maximè, quod Comitem Danbæum Supremum Regni Quæſtorem, Regiâ gratiâ donatum, in jus vocârit, ac pecuniam pro diſſolvendo exercitu, non Regi fidendam, ſed in Ærarium Civitatis conferendam cenſuerit Curia Inferior: ut nè pernicioſius inſoleſceret, prorogari primum Senatum, tum omninò diſſolvi Rex juſſerit.

Senatorum conſilia, & dicta.

Proceres Catholici ejiciuntur.

Dum alia in Catholicis moliuntur.

Senatus diſſolvitur.

Digitized by Google

Variis Argumentis evertitur fucatæ Conjurationis fides.

Quadruplex argumentum.

QUAM iniquè cum Catholicis actum fuerit, quibus ſine probabili fundamento umbratilis hujus Conjurationis nota inuſta eſt, ex quadruplici potiſſimum capite oſtendi poteſt: nempè ſi perpendamus, qui fuerint Accuſatores, & Teſtes: quos, qualeſque ſuis calumniis impetierint: quàm omni, quod nobis ab iis objectum fuit, veri ſimilitudine caruerit: denique quanto majori violentiâ, quàm æquitate in rerum hominumque examine uſi fuerint Judices, aliique præjudiciis & partium ſtudio occœcati.

Primū, Teſtium infamia.

Si in Accuſatores oculos conjicias, ecce tibi homines vitæ, fortunæque profligatæ, omni ferè flagitiorum genere infames, & ſolis criminibus notos.

De Tito Oate.

Titus Oates, obſcuræ vir originis, mendaciis ac perjuriis à puero innutritus fuit, ut Vir magnæ apud Proteſtantes notæ de ipſo coram Judice teſtatus eſt. Creſcente ætate crevit etiam morum improbitas, & horrenda ſpurcities tam omnibus nota, quàm caſtis auribus non ingerenda: eam certè uſque adeò ferre non potuit Secta Proteſtantium in Angliâ prædominans, ut Eccleſiaſtico ipſum Beneficio, quo

Digitized by Google

in Cantio Angliæ Provinciâ fruebatur, coacta ejecerit, vel potiùs evomuerit: ut teſtantur varii magnæ in illa Regione authoritatis, qui acta perlegerunt. Sed propriora oculis ſubjiciamus. Dum Vice-Comitem Staffordiæ ſuis perjuriis perdere conatus eſt, rogatus Oates verène an fictè Catholicæ Fidei nomen dediſſet? Fictè, inquit, ut eâ tectus larvâ penitiùs eorum ſecreta rimarer. Quid hoc homine ſceleratius? Longiſſimè certè abeſt à Regii Teſtis probitate, Religionem fingere: vetitis, ut credere debuit, Sacramentis ſacrilegè uti; & abjuratâ fide ſuâ, in Eccleſiæ Romanæ verba jurare, quam ſuperſtitionem, & idololatriam profiteri docent Sectarii. Hinc certè nobiſcum cenſebunt Sapientes, vaniſſimè gloriatum Oatem, dum *ſe* dixit *præ cæteris de Rege benè meritum, quod cum alii ſolius vitam corporis, ipſe etiam animæ ſalutem ejus causâ periculo expoſuiſſet.* Quot deindè perjuriis, in hac ipsâ, quam ſcribimus, Conjurationis Hiſtoriâ, fidem ſibi abrogarit, teſtatur Jeſuitarum Pariſiis Luparæ contigua Domus: procero corpore, flavoque capillo Auſtriacus: Præſtonus conjugatus Sacerdos, ac demùm Regina Angliæ ſimul innocens, ac rea conſilii, de Rege veneno tollendo, Oate utrumque jurejurando confirmante.

Quis deindè Bedlous? Ut Oatem perjuria, ita hunc latrocinia, aliaque ſcelera enormia infamem reddidêre. Aſcitis ſibi Nobilium ſuæ gentis titulis honorariis, cùm in Angliâ diutiùs conſiſtere non poſſet, Belgium, Galliam, Hiſpaniam furtis peragravit, ſæpiùs propterea in carcerem conjectus, & Pontiſaræ in Urbe Normanniæ capite damnatus: felicior futurus ſi tunc pœnas dediſſet, quas ardenti pii Sacerdotis efflagitatu evaſit. Quàm projectâ fuerit pejerandi libidine, inferiùs illuſtria dabimus documenta. *De Gul. Bedloo.*

Sed ut utrumque Heroem paucis conjungamus: quàm locupletes fuerint teſtes, utriuſque luculenter prodit inopia. Oates ante detectam Conjurationem ſtipem ferè oſtiatim mendicabat, vel verâ laborans paupertate, vel eam effronti impudentiâ ementitus: quod de ipſo credere, nota in omni ejus vitâ arrogantia non ſinit. Bedlous *De utroque.*

cùm in Catholicorum arcana penetraſſe ſe dixiſſet, omniumque adeò vitas in poteſtate haberet, conjectus in carcerem fame periiſſet, niſi ex corraſis per urbem panis mucidi fruſtis vitam ſuſtentaſſet. Hinc poſteros non facilè credituros ominamur, Catholicos tanto facinori immerſos, & pecunias prodigâ manu undique ſpargentes, hos conſiliorum ſuorum participes & adjutores, tantâ in egeſtate relicturos, ſi verè ipſis arcana hujuſmodi communicaſsent; neque Harcottum Provincialem Oatem Audomarenſi expulſurum Collegio, ac minis etiam verberibuſque excepturum Londini, ſi Patrum legationibus fuiſſet perfunctus, & in adyta conſiliorum omnium invaſiſset.

De Milone Prancio. Hìc Milo Prancius Aurifaber, licet anteactæ vitæ ſceleribus multò cæteris inferior, paucis perſtringendus. Reum multiplicis furti agunt nonnulli, quod verò ad Conjurationem attinet, minis, & penè invitus teſtium numero acceſsit. Cùm innocentes falſo crimine accuſaſset, tanti ſceleris tactus conſcientiâ, coram Rege & Sanctiori Conſilio palinodiam illicò cecinit: donec inflictis tormentis adactus, vetus crimen novo perjurio cumulavit. Elevare hujus hiſtoriæ fidem nituntur hoſtes Catholicorum, ſed rem evincunt auditi clamores, & diſpar exinde Prancium habendi ratio. Quem enim antea fame propemodùm confecerant, lautè poſtmodùm habuêre, hiſque artibus ita in ſententiâ confirmarunt, ut ampliùs non vacillarit.

De cæteris. Denique vix quiſquam in hâc tragœdiâ, teſtimonio Catholicos impetiit, qui non è carceribus extractus, ſcelerum præteritorum veniâ, & præmiis, qualia alias non ſperaret, illectus ad quæſtuoſam hanc pejerandi artem exercendam acceſſerit. Enimverò Zelæus quidam, qui ſe teſtium numero aſcribendum curaverat, vitæ adeò flagitioſæ pertæſus, libello edito ſuas, ſociorumque fraudes detexit, qui venalia plus offerenti perjuria paſſim vendebant.

Secundum, à præſtante Reorũ virtute. Sed ut ſecundo contra Adverſarios argumento pugnemus; ſi quos hujus ſceleris aura afflavit, attentius conſideres, ſolâ virtutis, & nominis famâ criminationem repellunt. Viri erant famæ, ſi qui alii, integerrimæ, & morum innocentiâ ſpectabiles, nec ullius ſuſpicione

ſuſpicione criminis, nedum labe notati. Pollebant apud Regem Catholici Proceres ampliſſimâ gratiâ, & poſt auditas Oatis in eos calumnias, ad venandum cum ipſo, ſpectandosque equorum velocium curſus humaniter invitati ſunt: cæteri verò cum ubique ſpargebant virtutis odorem, ut malevolorum omnium, ante Oatem & ſocios, ora occluderent: ut mirùm ſit hos maculas adeò turpes detexiſſe, cùm alii nævos leviores vix conſpexerint.

Neque ſolùm libuit iniquiſſimis delatoribus Anglos genere & virtute claros fictæ Conjurationis arceſſere, ſed Summum etiam Pontificem, & Principes externos in flagitii adeò infamis ſocietatem vocare. Nunc Orbem Chriſtianum appellamus, credatnè INNOCENTIO XI. qui raris virtutibus *Sanctiſſimi* nomen implet, in mentem unquam veniſſe, ut Rege, cujus gratiâ à diuturnâ perſecutione reſpirabant Catholici, immani ſcelere trucidato, Regnum pacificum ſanguine & cædibus miſceret, & nefarios homicidas, plenâ peccatorum indulgentiâ ad facinus animaret? Sed hæc narraſſe refutaſſe eſt.

Neque minùs portentoſum eſt de Regibus Hiſpaniæ & Galliæ commentum, quos perpetuis ferè bellis invicem laceſſentes, in Angliæ perniciem, communi ſe fœdere ſociaſſe. jactavit Oates. Fuiſſet hoc maximorum Principum famæ notam inurere non ferendam, niſi ab Oatianâ linguâ nulli infamiam aſpergi credidiſſent. Regum aliorum ſanguine Reges non gaudent, ſed, ſine privatis inimicitiis, quæ ſibi juſtè deberi autumant, juſto repetunt bello: neque partâ gauderent victoriâ, quæ æternam nomini ſuo infamiam crearet.

Quis deindè ferat Oatem & Bedloum, ſolis flagitiis nota nomina, Societatis JESU Præpoſitum Generalem, & omnium Ordinum Religioſos tantâ infamiâ aſpergere? Raram illius prudentiam, cæterasque virtutes ſuſpexit Europa Catholica: horum in omni vitâ moderationem, & indolem ſanguinis fugientem norunt, qui vel ſacra Canonum Decreta, vel pias Ordinum Religioſorum leges

Digitized by Google

evolverint: ut proindè minimè timeamus, ne paucorum calculo cadant rei, quorum innocentiam tum omnis vitæ ratio, tum propria cujusque virtus eloquitur. Quæ verò calumnia iis poteſt adhæreſcere, qui poſt vitam ſanctè tranſactam, cùm Supremi Numinis Tribunali jamjam ſiſtendi eſſent, omni ſe vel cogitati ſceleris culpâ immunes profeſſi ſunt.

Tertium, à rerum incredibilitate.

Jam verò ſi rem ipſam ſpectes, tota fictæ Conſpirationis machina, & criminum nobis objectorum ſeries, tot figmenta tum per ſe incredibilia, tum inter ſe pugnantia continet, ut apud homines ratione præditos talia aliquando fidem inveniſſe vix credituri ſint poſteri. Religioſi Ordinis Generalem, munium tam civilium, quàm militarium diſtributioni præeſse, ab eoque delectos, quos vel morbi bellis ineptos, vel vivendi ratio à belli laboribus periculisque avocabat, quis ſapiens crediderit? Bellaſius exercitus Imperator ita podagræ doloribus tenebatur, ut ſe movere vix poſſet? Petrius Legatus gladio, nonniſi ut nobilitatis inſigni, omni vitâ eſt uſus; Ratcliffus Caſtrorum Præfectus, equum toto ante quadriennio vix cōſcenderat. Quę cùm ita ſint, quis non videat, claro probari indicio, id iniquiſſimos criminatores, ſolùm præ oculis habuiſſe, ut quia, quos laudavi Viri Nobiles, rerum geſtarum famâ, vel opibus, copiisque magnum inter Catholicos nomen habebant, ad conciliandum fabulæ fucum, Conjuratorum albo inſcriberentur? Neque illud minùs inſulſum eſt Oatis commentum, Jeſuitas opulentis Epiſcopatibus inhiare, quos ſolemni voto excludunt; & mentito habitu Presbyterianos agere, à quorum cœtibus, cunctos verbo arcent & exemplo. Sed feciſset Oates operæpretium, ſi certiori aliquo indicio ſua commenta probaſset: ſi patentes litteras exhibuiſset, quibus ipſi, in omnes Jeſuitarum cœtus, aditus patebat: ſi arma, ſi congeſtæ annonæ apothecas detexiſset. Sed horum ne veſtigium quidem unquam apparuit; dæmone haud dubiè ſuis præſtigiis hæc aliaque multa omnium oculis ſubducente, ut illuſtrius oraculo ſuo nomen conciliaret: dum Oati inviſibiles exercitus, & commeatum inviſibilem prædicanti, majori portento cre-

Digitized by Google

deretur. Sed Oatem ſecum pugnantem videamus: In ſuo quem typis vulgavit Commentario vidiſse ſe refert datas Menſe Januario anni hujus ſæculi ſeptuageſimi-octavi, à Provinciali Harcotto litteras, quibus nunciatum eſt facinus Pickeringi Benedictini, Regem ſclopo conficere tentantis, vitio ſilicis, caruiſse ſucceſsu; cùm ſui oblitus coram Superioris Curiæ Proceribus jurejurando aſseruit, id nonniſi Menſe Aprili contigiſse, paucis antequam Patres ad Equi Albi convenirent, diebus. Novum hoc cunctis videbitur, res geſtas tertio antequam fiant menſe, ſcripto committi.

Ad modum procedendi quod attinet, omnium Annales ſæculorum evolventi vix occurret ſupremum alicujus Regni Senatum tot hominum millia, omnis ætatis, ſexus, conditionis, nequidem Regii tori Conſorte exceptâ, indictâ causâ, nec auditis in utramque partem rerum momentis, unius, totque perjuriis infamis Apoſtatæ aſsertione, reos pronunciaſſe. Hoc fuit Catholicorum in Angliâ fatum, durum quidem, ſed ferendum, ne quid Teſtibus Regiis authoritatis decederet. Hinc occœcati Judices: Duodecemviri in tranſverſum acti: Plebs adeò incenſa ut reis, ſe coram Juſtitiæ Præſide purgandi facultatem vix daret. Teſtes ſanè quos pro ſe citabant, adeò malè habiti ſunt, ut neceſſe fuerit aliquoties Tribunalis authoritatem implorare, ne in fruſta decerperentur: cùmque ad teſtimonium dandum evocarentur, cum riſu paſſim excepti, Judice, ſi Catholici eſſent, dictitante, illis à Conſcientiarum Arbitris factam jam eſse liberè mentiendi facultatem: Hoc pacto teſtibus ſupra triginta rejectis, factus eſt paucis aliis locus, qui licet diſcordia ferrent teſtimonia, auditi probatique in reorum perniciem ſunt: Iudice vel non advertente, vel diſſimulante. His breviter à Catholicis amotâ infami calumniâ, tacendum non duximus, Senatum qui tanto ardore ad tentandum Conjurationis fundum incubuit, non videri eidem fidem adhibuiſse: Cùm enim Oates grandium exercituum *Quartò, ab agendi modo.*

Digitized by Google

rumore omnia impleſset, & imminere proximè periculum cunctorum terrore ſparſiſset, non de augendis Copiis Regiis, quibus vim tantam amoliretur, egit Senatus, ſed quem Rex ſub ſignis habuit militem exauctorandum quamprimùm curavit, nova ſanè agendi ratione, ut inſtante hoſte, quem tueri cupis, armis exuas.

Digitized by Google

Eduardus Colemannus de Conjuratione, & litterarum cum exteris commercio: Laurentius Hillus, Robertus Greenus, & Henricus Berræus de Irenarchæ Godefredi cæde poſtulantur.

NUNC belli quoddam genus dicere aggredimur, non quo Principes educto in campum milite, de Imperio certant, ſed quo Fides cum perfidiâ, Veritas cum mendaciis, perjuriisque, cum ſcelere Innocentia iniquo Marte committitur, & Chriſti exemplo cadendo vincit. Procedunt in aciem Pugiles inermes, circumſtat hoſtis, non ferro, ſed linguâ armatus, contra quem dum ſuppetias à pugnæ arbitris expectant, eos hoſti acceſſiſſe brevî doluerunt. Enimverò converſis ad Angliæ Tribunalia oculis, his omnia ſimillima facilè perſpeximus, dum Iuſtitiæ Adminiſtri, qui per leges reorum Patroni ſunt, teſtium iniquorum criminationes ſuſtinent confirmantque, & juſtam eorum defenſionem quâ poſſunt arte eludunt: conſilio eo iniquiore, quod non modò vitam innocentibus, ſed famam etiam quâ mortui vivunt, unà ademêre. Sed illi firmo pectoris robore contra omnia fortunæ

Catholici iniquo Marte decertant.

Digitized by Google

tela armati, vitam Chriſto dedere, Chriſtus illis famam cum novō gloriæ fœnore reddidit.

Quinam præcipuè cauſam capitis dixere.

Varii per hoc perſecutionis tempus ad cauſam capitis dicendam evocati, ii præſertim, qui vel primi Conjurationis artifices habiti, vel qui judicum calculo damnati, ad confirmandam illius apud vulgus opinionem facturi maximè credebantur. Nos domeſticis contenti, alia aliis relinquimus; ne tamen ea ſtudio omiſiſſe videamur, quibus tota fabulæ moles, brevì alioquin ruitura, tamdiu ſtetit, quæ circa Colemanni litteras, & Godefredi Irenarchæ cædem pro Tribunali geſta ſunt, paucis perſtringemus: iis ſolummodò in medium allatis, quibus tum teſtium, tum temporum iniquitas poſteris innoteſcat.

Colemānus Oati ignotus: tamen de illius litteris cōjectura.

Supra retulimus Oatem ſub horum tumultuum initia in ſecretioris Concilii Conclave vocatum, de Colemanno, (qui præſens aderat) dixiſſe virum eſſe ſibi omninò ignotum, nulliusque, quod ſciret, reum criminis: Id unum ſe credere, ex ipſius litteris, ſi in manus deveniant, erui multa poſſe. Occupatis itaque & diligenter perlectis Colemanni ſcriptis omnibus, deprehenſum eſt eum habuiſſe aliquot ante annis, cum externorum Principum Adminiſtris litterarum commercium. Hinc claro jam indicio de conjuratione conſtare, ac proindè Colemannum in judicium vocandum permulti cenſuêre. Ad Tribunal itaque producitur vigeſimo-octavo Novembris, non modò litterarum rationem redditurus, ſed reſponſurus etiam ad accuſationum capita, quæ Oates meliùs jam edoctus, & Bedlous in ipſum compoſuerant.

A vero non aliena.

Colemāni cum Oate pro tribunali ſermo.

Ductum à teſtibus initium. Oates ubi multa de duplici Jeſuitarum cœtu, aliiſque effutiiſſet, Colemannum ait de mittendis Vindeſoriam Sicariis, deque veneno à Wakemanno porrigendo abundè fuiſſe inſtructum. Reponit Colemannus mirùm videri Oatem tam varia ſcire de Viro, quem coram Concilii Secretioris Proceribus, ignotum omninò ſibi eſſe dixiſſet. Undè jam, inquit, tanta mihi tecum familiaritas ut ejus momenti negotia tibi communicarem?

Digitized by Google

Oates ut quæſtionis vim eliderct: *Seriùs, inquit, erat, cùm in Concilium vocatus ſum, & feſſo mihi nocturno diurnoque labore, ad lumen candelæ caligabant oculi: at ubi te l quentem audivi, nota vox tui memoriam mihi refricavit.* Sed projecta hominis ad pejerandum libido ſtatim patuit, cùm Thomas Dolmannus Eques Auratus, & Concilii Amanuenſis, teſtatus eſt, examinatum fuiſſe, adeoque, multa locutum C lemannum, antequam Oates eum ſibi ignotum pronunciaret. Feciſſet hoc plurimùm ad levandam Oatiani teſtimonii fidem, niſi interpellans Judex, *In eo*, inquit, *non vertitur cardo difficultatis*: Sicque ſermonem ad alia divertiſſet.

De quibus ipsũ accuſet Bedlous.

Vocatus deindè Bedl us Colemannum accuſavit de litteris ad P. Chaiſium datis menſe Aprili, anno milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo quinto, & à Chaiſio viciſſim, ſe reddente, acceptas. Eas linguâ ſibi non benè notâ conſcriptas, eo tamen fuiſſe argumento, ut Chaiſius, promovendam ſedulò conjurati nem ſuaderet. Tum ſe hæc, præſente Waringo, Colemanni verba audiſſe, ſi ſibi venæ, ſanguinis oceano tumerent, omnem ſe in ſtabiliendâ Eccleſiâ profuſurum: ſique centum Reges ſe opponerent, delendos omnes curaturum. Res mira auditoribus viſa, Bedloum linguam, quâ conceptæ erant litteræ non intellexiſse, & tamen nullo interprete, earum argumentum tam probè callere. Tum Colemannus palam eſse ait ex ipſis, quas ad Chaiſium dediſſet litteris, primas Menſe Septembri illius Anni fuiſse conſcriptas: quomodò ergò Bedlous priores redderet Menſe Aprili? Reliquam accuſationem diluit, ſanctè proteſtando, ſe totâ vitâ Bedloum non vidiſse.

Quid de ſuis litteris reſponſi dederit.

Sed cùm remotis teſtibus de litterarum argumento ageretur, faſsus eſt, iis expoſuiſse magno Catholicæ Religionis in Angliam revehendæ, teneri ſe deſiderio: non tamen vi & armis, ſed Regis beneficio: cui cùm Senatus ſe opponeret, opus fuiſse pecuniâ, quâ ſolutis Comitiis, Rex benigniùs cum Catholicis agere, & libertatem ſuo more, rituque vivendi indulgere poſset. Varia ſuis litteris contineri, quæ Oatianam Conjurationem penitùs

Digitized by Google

elidant, qualia ſunt: *Meſſem eſſe multam, operarios autem paucos: vim armatam ſe à Galliâ non expectare, ſed pecuniam. Regem Chriſtianiſſimum a ſe ſuiſque partibus non ſtare, quod ſcutorum decies mille ſubſidium deneget.* Diſsident hæc ſanè plurimùm ab Oatis narratione, qui magnorum exercituum, & quæ à Galliâ expectabantur, ſuppetiarum terrore omnia complêrat. Neque credibile eſt, Rege decem ſcutorum millia denegante, Chaiſium virum privatum totidem librarum millia ſuppeditare.

Condemnatus, morti traditur

Actâ hunc in modum causâ Duodecemviri Jurati Colemannum læſæ Majeſtatis reum pronunciant. Lata eſt poſtridie ejus diei mortis ſententia, quam fortiter tertio Decembris ſubiit, poſtremis verbis ſanctè aſſeverans, ſe nihil de Conjuratione in Regem, ac Regimen factâ, reſciſse, neque unquam cogitaſse de Religione Catholicâ eo modo promovendâ. Catholicam quidem ſe fidem profiteri, in eâ ſe mori.

Vir erat ingenio & linguâ promptus; hæreſim, cui innutritus fuerat, ita exuit, ut Catholicæ Fidei ſtudio ultra modum exarſerit; felicior futurus ſi privatis negotiis intentus, publicis, Rege inſcio, abſtinuiſset. Plurimùm, ex Colemanni condemnatione, Teſtibus Regiis, authoritatis acceſsit; nam licet Supremus cauſarum criminalium Quæſitor, iis quæ ab illis dicebantur, non multùm inhæſerit, ab ignarâ tamen plebe, quæ cauſarum momenta rarò perpendit, tanquam ex acie, partâ victoriâ revertentes, cum plauſu excepti ſunt. Cùm ecce tertio menſe nondum evoluto, nova lætitiæ ſeges, ſimili ex causâ exoritur, poſtulatis de Irenarchæ Godefredi cæde, Laurentio Hillo, Roberto Greeno, & Henrico Berræo.

Bedlous et Prancius inter ſe diſſident de cade Irenarcha.

Hos Bedlous & Prancius homicidii reos egerant, & collatis capitibus fabulam compoſuerant, tot ſcatentem ineptiis, ut ſe ipſa abundè refellat. Somerſettenſe Reginæ Palatium, uterque ſtatuit hujus tragœdiæ Scenam: Authores pariter & actores Catholicos volunt fuiſse: Duodecimum Octobris ſtatutum ſceleri diem, & Irenarcham dolo malo in Palatium deductum, inque primo ejus

aditu

Digitized by Google

aditu trucidatum inter ipſos convenit, in cæteris ferè omnibus immane quantum diſcrepant. Si tempus poſtules: horâ ad veſperam quintâ, inquit Bedlous, Prancius verò poſt octavam trucidatum narrat. De loco patrati ſceleris pariter diſſident. In cubiculo, ex quo in ſuperius Palatii atrium patet proſpectus, peremptum Irenarcham refert Bedlous: Prancius verò facinus dicit in ipſo atrio, & quidem inferiori patratum. At quâ manu, modoque cecidit? Pharius, Valshius, & Atkinſus, intercluſo duo inter pulvinaria ſpiritu, inquit Bedlous, mox faucibus collari oblongo arctè conſtrictis Irenarcham peremêre. Alia omnia Prancius, qui contorto ſtrophiolo ſtrangulatum à Greeno aſſerit: cùmque adhuc vitæ ſigna membrorum tremore daret, circumacto ad dorſum collo penitùs extinctum. Quis Godefredum, his auditis, Virbium non dixerit, bis in lucem editum, bis luce privatum? Unius vitæ hominem, diverſis locis, modiſque, & quidem diverſorum manibus periiſſe, hactenus inauditum. Denique ne his ineptiis tædio ſimus, par inefferendi cadaveris modo teſtium diſcordia. Bedlous, die Lunæ, qui Menſis fuit decimus-quartus ſub nonam veſpertinam, primò, ſellâ geſtatoriâ (Berræo Palatii Janitore fores pandente) mox rhedâ elatum cadaver enunciat: Prancius verò decimo-ſexto, qui dies Mercurii fuit, ſub duodecimam nocturnam, primò quidem ſellæ, mox equo impoſitum aſſerit cadaver, & Hillo retrò ſedente, idque ſuſtinente delatum ad locum, ubi poſtea gladio transfixum apparuit. Hæc illi Senatui, & Concilio occinuerant, pejerandi adhuc rudes; ſed doctioribus poſtmodum in diſciplinam traditi, eò peritiæ devenêre, ut quibuſdam viſum ſit ad confirmandam Conjurationis fidem, rem judicio committere. Decimo itaque Februarii die, Anno poſt milleſimum ſexcenteſimum ſeptuageſimo-nono, ductis ad Tribunal Hillo, Berræo, & Greeno, Bedlous & Prancius næniam ſuam rurſus decantant, ſed iis temporis, & loci circumſtantiis truncatam, ut ingrata teſtimoniorum diſcordia vix adverteretur. Diſſenſit à ſeipſo Bedlous, ut qui coram Senatu

Vocatur ad Tribunal Hillus, Greenus, & Berræus.

Digitized by Google

juraſset, die Lunæ elatum cadaver, nunc paris Religione Sacramenti dixerit, ſe fidem fallente, rem in aliud tempus rejectam. Excepêre contra Prancium rei, quod quæ contra ipſos juraſset, dedixiſſet coram Rege & Concilio Sanctiore, nec firmus in teſtimonio fuiſset, donec quæſtioni admoveretur. Reliquam defenſionem, licet validiſsimis adductam rationibus ſtudio brevitatis omittimus. Rei à Duodecimviris condemnati, teſtium duorum voce cecidiſſe crediti ſunt, licet Bedlous nil capitale in illos dixerit. Hillus & Greenus undecimo à latâ ſententiâ die, fortiter mortem ſubiêre, & in ultimo vitæ articulo, innocentiam ſuam conſtanter aſſeruerunt. Berræo dilatum ſupplicium, quod ſe Proteſtantium Eccleſiæ adjunxiſset: ſed cùm firmus in pernegando homicidio perſiſteret, ſeptimo poſt ſocios die, qui fuit Februarii vigeſimus-octavus, pari fato vitæ periodum clauſit, Innocentiæ ſuæ ad extremum aſsertor.

Alii rumores de cæde Irenarchæ. Hâc Teſtium diſcordiâ, licet aliter viſum Gulielmo Scroggio Iuſtitiæ Præfecto, purgatis apud æquum Iudicem de tanto ſcelere Catholicis; quæ de cædis causâ Londini ſparſa ſunt, paucis dabimus. Sunt qui Godefredum propriâ manu cecidiſse cenſeant, elatumque ab amicis, ne re cognitâ, familiæ erepta Fiſco cederent hæreditaria bona. Qui hoc in vulgus ſparsêre, melancholicum viri ingenium, verbis injurioſis à Comite Danbæo Supremo Regni Quæſtore laceſſitum, in cauſæ Patrocinium adducunt: cùm præſertim ſibi mortem conſciſcere in illa Familiâ novum non ſit. Hac opinione inter cæteros fuit Danbæus ipſe, idque Irenarchæ Fratri propediem ſignificavit, operam ſimul addicens, ut firma Familiæ hæreditas maneret. Alii contra dicunt trucidatum Irenarcham Quæſtoris Summi imperio, ob communicata cum Colemanno Oatianæ Conjurationis capita, quibus ſubſcripſerat, quæque ſecreta eſse Danbæi intererat: hincque verbis primò increpitum, mox juſſum interfici. Certè in Chriſtiani cujuſdam, Danbæo is famulabatur, conſortio, poſtremùm viſus dicitur: ut Ire-

Digitized by Google

narchæ, cujus memini, Frater, auditâ ſuper hac re Fitz-Harriſii teſtimonio, litem Quæſtori intentarit, quæ tamen in judicium deducta non eſt. Hæc, inquimus, in vulgus ſparſa, quia tamen nihil in partem alterutram jure deciſum fuit, judicio noſtro ſuperſedimus: contenti à Catholicis infamiam removiſſe.

Oatis de Hiſtoriâ Bedloanâ judicium.

Hâc Fabulâ in vulgus ſparsâ, inter cæteros Catholicorum hoſtes, ſibi etiam applauſit Oates, & cum Smithæo ſuo olim Ludimagiſtro, frequenter agens: *Hoc*, inquit, *negotium mihi proſperè ceſſit. Licet enim fidem Hiſtoriæ Bedloanæ non adjiciam, ſine eâ tamen in auras abiiſſet conjuratio mea; neque credo Concilium ſecretius, ſi hoc non interveniſſet, ullam mei rationem habiturum fuiſſe.* Verum ex mendace tripode Oraculum. Ubi enim binis teſtibus de facto homicidio conſtare videbatur, crudele Papiſtarum ingenium vulgus execrari, & quidquid contra ipſos ſpargeretur, ſtatim arripere, & avidè deglutire. Cæterùm diſcordes teſtium voces typis mandatæ, aſperſam Catholicis calumniæ maculam abundè abſtergunt, neque credent Poſteri Conjurationi Oatianæ fidem aliquam Colemanni litteris conciliari, tum quia eam penitùs evertunt, tum quia agendo cum exteris, quicquid peccavit, ſolus peccavit, nec in alios ſuæ temeritatis invidiam derivare jure poteſt.



Pater Gulielmus Irelandus, Thomas Pickeringus, & Joannes Grovius cauſam Capitis dicunt.

Forma Judiciorum in Anglia.

ID Anglia præter cæterarum ferè gentium morem, lege ſancitum habet, ut rei, ad eliciendam criminis confeſſionem, tormentis non adigantur. Cenſuit ſcilicet prudens Legiſlator, & cum illis agendum mitiùs, & majorem publici boni rationem habendam, ſi causâ plurium judicio commiſsâ, rei eorum calculo ſtarent, caderentve.

Duodecimviri.

Hinc inducti Duodecimviri (nomine à numero derivato) qui Judici pro-Tribunali aſſideant, de causâ cognoſcant, & momentis rationum, quas vel objicit actor, vel reus refellit, accuratè perpenſis, hunc ſuo calculo damnent vel abſolvant. Id notatu digniſsimum Duodecimviros unanimi planè conſenſu de reo ſententiam ferre oportere. Hinc auditâ causâ in conclave, quod Tribunali proximum eſt, ad tempus recedunt, dicta omnia ad trutinam revocaturi: ibique recluſis, cibo, potu, & igne interdicitur, donec eâdem omnes voce, de reo pronuntient.

Qui, quales eſſe debent.

Porrò Duodecimvirûm electio penes Vice-Comitem Urbis, aut Provinciæ manet, eique incumbit, Viros *Probos*, & reo dignitate aut conditione *Pares* eligere; legibus mag-

nam hac in re diligentiam requirentibus, quod Patriæ, tótiusque adeò gentis vices obeant. Nequis autem inter reliquos aſciſcatur, quem reus aut odio præventum, aut ſtudio partium abductum cenſuerit, huic libera ſit contra quemvis eorum, excipiendi poteſtas; alio deinde in ejus locum ſubſtituto. Denique omnes, jurejurando obſtringuntur (undè Jurati paſſim audiunt) ſe ex vero & æquo judicaturos. His ex legum normâ ita diſpoſitis, cùm citandus aliquis ad Tribunal eſt, porrectis prævìe ab Advocato Regio criminationis capitibus, tempus conceditur, ut teſtes evocare, rationes in ordinem redigere, & quicquid defenſioni ſuæ opportunum judicarit, ordinare poſſit. *Reo ſit excipiendi poteſtas.*

Id porrò in judiciis Angliæ durius videtur Reo, ad cauſam agendam patronos non concedi. Verùm huic difficultati providè cautum eſt, legibus ita ferentibus, ut Judex ex officio teneatur, ejus in ſe patrocinium ſuſcipere, & quæ ad diluendam accuſationem facere poſsint, hærenti ſuggerere. *Judex reorum Patronus.*

At verò quantulùm valeant leges etiam ſanctiſsimæ ad tuendam hominum innocentiam, ubi conculcatis omnibus tam ſacris, quàm prophanis, armata dominatur impietas, illuſtri documento fuêre P. Irelandus, & Socii Thomas Pickeringus ex Ordine Sancti Benedicti, & Ioannes Grovius Civis Londinenſis. Omnia in ipſorum perniciem jamjam parari videbantur, teſtes ſceleratiſsimi, Iudex parùm æquus, ne dicam infenſiſſimus, Duodecimviri ex fœdâ Sectariorũ colluvie ab iniquiſſimis Vice-Comitibus ſtudiosè delecti. *Iniqua P. Irelandi & ſociorum conditio.*

Sedente igitur pro-Tribunali Gulielmo Scroggio Supremo Iuſtitiæ Præfecto, decimo-ſeptimo Decembris, Anni 1678. ad Tribunalia deducti ſunt, & ad reorum ſubſellia conſtitêre. Ibidem etiam juſſi comparuêre P. Harcottus Provincialis, & P. Ioannes Fenwickus, contra quos Oates ad ravim declamavit: ſed Bedloo eos ſibi tantùm de facie notos aſſerente, nihilque momenti alicujus objiciente, ad carcerem reducti ſunt, donec ille meliùs inſtructus, eos noſcet intimè, & graviſſimorum reos criminum diceret. *Siſtuntur Tribunali.*

Digitized by Google

Itaque in tres illos, qui ad Tribunal remanſerant, lecta fuit à Curiæ Tabellione accuſatoria ſchedula, quâ de inito Regem, Regnumque perdendi conſilio arceſcebantur. Citatus Oates Patri objecit, eum in conſultatione ad inſigne Equi Albi, de Regiâ morte cum quadraginta aliis Jeſuitis deliberaſſe, conditum quinimò fuiſſe decretum, ut Pickeringus & Grovius, pergerent in ſuſceptò ſcelere Regem perimendi: pactâ huic, ut ſæculari, mercede librarum mille quingentarum: illi verò, ut Religioſo, Sacrorum trigeſies mille, quæ ſolido Anglicano æſtimata, parem ſummam conficerent. Tum deputato in Urbem Procuratore Ioanne Caræo, Patres in minores cœtus abiiſſe, ſignaſſeque memoratum decretum; Oate ubique præſente, ac Irelandum præſertim ei ſubſcripſiſſe animadvertente. Sed ut omnia firmiore nexu cohærerent, Patres ad Provincialis conclave regreſſos, ac Sacrâ Euchariſtiâ paſtos, ſecreti ſervandi ſacramento ſe obſtrinxiſſe: Tito impium illud cum cæteris jusjurandum dicente. Patrem Irelandum prætere a Menſe Auguſto ſcelerata agitaſſe conſilia, ac primo vel ſecundo Septembris die, Oati in præſtiti mercedem obſequii, pecuniam dediſſe. His adjecit Bedlous Irelandum, ſub finem Auguſti, alteri interfuiſſe cœtui, in quo de Sicariis quatuor Windeſoriam miſſis, actum fuiſſet, ſtatutumque ut his deficientibus alii ſubrogarentur. Tum Oates in Pickeringum, & Grovium invectus, eos ſcelere implicitos, pactamque illius peragendi mercedem acceptaſſe, aſſeruit: ſclopos, & glandes argenteas præparaſſe; Pickeringum operi ſemel intentum, ac fallente ſilice aberrantem, virgis culpam luiſſe: Grovio etiam acrioribus verbis propterea caſtigato. Neque immunes à Bedloi criminatione fuêre, qui eos in ſe facinus ſuſcepiſſe dixit, & Grovium quidem magnum illius perficiendi ardorem animi præ ſe tuliſſe, Pickeringo ſæpiùs præſente, ac conſilium ſemper approbante.

Quorum Oates reos accuſet. *Quid addat Bedlous.*

Patris defenſio.

Auditis teſtibus, facta reis ſe purgandi poteſtas; Irelandus defenſionem adorſus gravi oratione queſtus eſt, ſibi tempus denegatum teſtes conquirendi: pridie ſe tantùm admonitum, ac tum etiam

acceſſum amicorum, & uſum calami prohibitum. Leges, pro re natâ, plures hebdomadas concedere: eguiſſe ſe binis minimùm aut ternis, cùm quos in ſui patrocinium advocare poſset, in remotioribus Angliæ partibus, ac etiam in Belgio degerent. Rejectâ cum riſu exceptione, ad diluenda ſigillatim accuſationis capita acceſsit. Fabulam de habitâ ad Equi Albi conſultatione disjecit, aſſerendo ducentis fermè teſtibus probari poſſe Oatem eo tempore Audomari commoratum, cùm ſe dixit cœtui illi interſuiſſe. Teſtes paucarum horarum ſpatio convocari non potuiſſe. Cæterùm ſe Tabulas Magiſtratus Audomarenſis ſyngraphâ & ſigillo obſignatas exhibere, quo dicti ſui veritas luculenter probetur. Quod ſi Londini eo tempore fuerit Oates, ubinam hoſpitatus? quorumnam uſus conſortio? teſte vel uno probet ſe tunc in Urbe viſum. *Quid de geſtis menſe Aprili aut Maio reſponderit.*

Cui Oates, in Grovii, inquit, ædibus juſſus delitui. Ad quod confutandum comparuit fœmina nobilis, quæ eo tempore in Grovii domo morabatur, ſeque Oatem ibi nunquam vidiſſe teſtata eſt. Cui ille, mentito nomine & veſte me texeram': ſignificare homo vafer his evaſionibus voluit iniquum eſſe præſentiæ ſuæ teſtes exigere: quos tamen cùm ſe hoc premi argumento cerneret, numeroſos poſtea produxit: nil penſi habens, quoties ſe perjurii reum conſtitueret, dummodò Iudicis, & Duodecimvirûm oculis caliginem offunderet. Quod tabulas ſpectat, reſponſum à Iudice, eas fidem non facere: ſolis illud ad Tribunal teſtibus agi. Dura enimverò ſors; illas rejicii, & hos accerſendi tempus denegari.

Porrò quod attinet ad res ſub finem Auguſti aut Septembris initium Londini geſtas, reſpondit Pater ſe illo tempore urbe abfuiſſe: exiviſſe tertio Auguſti, nec ante decimum-quartum Septembris rediiſſe. Variis ſe Nobilium cœtibus, vel in Comitatu Staffordiæ, vel in Borealibus Cambro-Britanniæ partibus interfuiſſe: viſum ſe à multis etiam Proteſtantibus, qui ſuam Londino abſentiam teſtari poſſent. Ad faciendam reſponſo fidem, teſtes aliquot Sororis, quam ſolam adjutricem habuit, induſtriâ conquiſitos produxit, qui, quibus *Quid de geſtis menſe Auguſto*

Digitized by Google

Qui teſtes producti,

locis per Auguſtum ac Septembrem fuiſſet, quorum conſortium frequentaſset, clarè expoſuêre. Teſtati ſunt etiam, alios magno numero eſſe teſtes, qui idem aſsererent, ſi adeſsent. Hìc ampla fit mentio

& qui producti poſſent.

Baronis Aſtoni, Southcotti Equitis Aurati, Giffordi, qui Carolum ſecundum in Chillingtonia Domo profugum exceperat, & Pendrelli Gemini, quorum parens eundem in Sylva Boſcobellanâ & in fugâ protexerant, aliorumque Nobilium, qui cum numeroſis quas alebant Familiis, in cauſæ patrocinium vocati, ſi tempore potuiſſent adeſse, teſtibus Regiis fidem omnem abrogaſsent. Cæterùm, qui Irelando favebant teſtes, grandia in Comitatu Staffordiæ nomina protuliſse, amplam faciebat dictis fidem, cùm aliàs perjurii, cum inſigni rei Catholicæ infamiâ, argui potuiſsent. Certè inter cæteros nominati complures Proteſtantes nobilitate ac divitiis clari, qui ſi falſum teſtes dixiſsent, tam præclaram Catholicos impugnandi occaſionem elabi non permiſiſsent. Verùm hæc parvi fiebant à Judicibus, qui ſtu-

Omnes Saræ Penæ teſtimonio rejecti.

dio partium abducti in Saræ Penæ verbis (erat illa Ancilla Culinaria) plus fidei repoſuerunt, quàm in tot illuſtrium Virorum teſtimonio. Quare Pater quod reliquum habebat, ſuam, ſuæque Familiæ in Regem fidem proteſtatus, hos bona, illos ſanguinem Caroli primi obſequio conſecraſse aſseruit. Credendumque non obſcuro argumento reliquit, longè ſe ab hoc ſcelere abſuiſse quod tali ortus ſtirpe, tam tetram familiæ notam nollet inurere.

Oates interrogatur de congreſſu Ieſuitarum.

Si nobis licuiſset interrogationibus nonnullis Oatem laceſsere, modeſtè quæſiviſsemus an promi vinum juſſerint, biberintne Patres congregati, cùm matutino tempore ad Equi Albi convenirent? Bibiſse haud dubiè aſſeruerit, cùm caupona non modò potitandi, ſed & pergræcandi perſæpè locus ſit, cum eò præſertim magno nume-

Et confutatur.

ro conveniatur. Et verò ſi vino abſtinuiſsent ob rem planè inſolitam, inibi cœtus coacti teſtes complures vocare Oates potuiſset. Bibiſse verò quis credat, cùm circa meridiem, ſi Oati credamus, in Harcotti Provincialis Cubiculum denuò convenerint omnes ſacram Euchariſtiam ſumpturi, cujus uſus niſi jejunis per Eccleſiæ leges ſeverè interdicitur.

Digitized by Google

interdicitur. Neque credendum omninò eſt homines quamvis ſceleratiſsimos, legem tam ſanctè cultam tranſgreſsuros, cùm eo ritu fœdus confirmarent, & ſilentii tenendi vinculo ſe obſtringerent. Sed quid opus eſt labentem per ſe molem Conjurationis novis cuniculis ſubruere; cùm, eo præſertim tempore, nullis moveri rationibus, Judicis plebi blandientis, obſtinatio potuerit. Nunc ad Irelandi ſocios revertamur.

Pickeringus & Grovius paucis multa dixêre. Ille ubi Patrem Regias partes ſecutum in bello occubuiſse recenſuiſset, *Se totâ vitâ ſclopum nunquam exploſiſſe* aſseruit: quod eâ decori vultûs amœnitate dixit, ut ſolo verbo ſine teſtibus fidem pleriſque faceret. Feciſset meliùs Oates ſi ad ornatum Fabulæ peritiorem jaculatorem adhibuiſset. Pudet ferè recenſere quot modis cum Grovio collegâ errantem inducat. Scilicet, nunc ſclopum ſolo pulvere oneraránt: nunc pulverem nitratum foculo igniario non impoſuerant: nunc denique ſilicem malè aptarant, ut ſpes non eſset ſcintillas igneas evibrandi: Si aliàs ſolos globulos adhibuiſſent, omnes in jaculando imperitiæ numeros impleſſent. *Pickeringi defenſio.* *Oatis imperitia.*

Grovius ubi accuſationem diluiſſet, teſtibus probando Oatem domi ſuæ nunquam habitaſſe, erectâ ad Cælum mente, *Vt*, inquit, *mihi curanda eſt æterna animæ ſalus, ita ſanctè aſſevero, me eorum quæ mihi objiciuntur, conſcium omninò non eſſe.* *Grovii defenſio.*

Actâ hoc modo causâ, Judex, ut moris eſt, quæ dicta fuerant in utramque partem, brevè in ſummam redêgit, ut Duodecimviri de re totâ meliùs inſtruerentur. Cùmque juſta reorum defenſiò, de teſtium authoritate, multùm detraxiſſet, ſupplevit omnia Judex, vehementi in fidem Catholicam declamatione: in quâ hoc occurrit animadverſione non indignum, quod quum teſtes ac tabulas contra Oatem allatas planè rejeciſſet, mendacia plurima in Romanam Eccleſiam nullis teſtibus, nullis tabulis confirmata pro oraculis obtruſerit. *Judex in Catholicos invehitur.*

Duodecimviri, in Conclavi de more recluſi, ac poſt brevem moram ad Tribunal reverſi, Patrem, & Socios intentati ſceleris *Rei condemnantur.*

Digitized by Google

reos pronunciarunt, eodemque die feralis in eos mortis ſententia lata eſt.

Irelandi ephemeris. Redux ad Carcerem Irelandus, licet de vitâ ſuâ conclamatum jam cerneret, ne quid tamen omiſiſſe videretur, quo ſuam aliorumque innocentiam ab hoſtium calumniis vindicaret, Ephemeridem contexuit, quâ à tertio Auguſti exorſus, ubi quoque die, quorumque in conſortio fuiſſet accuratè annotavit: & tum itineris ſui, tum reditus, qui in decimum-quartum Septembris incidit rationem dedit. Subſidio fuit in eâ perficiendâ libellus, quo ad levandam memoriam res à ſe geſtas, & quæ notatu digniora erant, ſolebat deſcribere. Ephemeridis exemplar Regi tradendum curavit, qui eâ perlectâ teſtium iniquitatem facilè perſpexit, & noxiam judicii facti celeritatem condemnavit. Sed is erat omnium ardor, Patrem ad mortem depoſcentium, ut quid agendum eſſet difficulter ſtatueret. Tandem ſuſpenſâ ſententiæ executione, liberam teſtibus comparendi poteſtatem facit, ut causâ novo examini commiſsâ reus, cujus innocentiam perſpectam habuit, abſolveretur. Sed plebs non obſcurè tumultuari, & *Tolle, tolle impium Jeſuitam*, inſanis vocibus inclamare. Quinimò inferior Senatûs Curia, auditâ ſupplicii dilatione, quo id jure factum, inquirere; cùmque id Regiâ authoritate mandatum intellexiſſet, rurſus ſciſcitari, an ea in Rege poteſtas reſideret: quæ ſupremæ prærogativæ inuſta occupatio, inter cætera, cauſam dedit Senatus diſsolvendi. Sed cùm res eſſet periculi plena, Rex conſultis, ut aiunt, Juriſperitis, liceretnè virum innocentem capitis damnare, iiſque aſſerentibus, fatali tandem ſententiæ invitus ſubſcripſit, ſtatuto ſupplicii die vigeſimo-quarto Januarii anno 1679.

Rex eâ visâ ſuſpendit mortis ſententiam.

Patris mors ſubſcribitur.

qui ſe ad æternitatem cũ Grovio cõparat. Pater ad felicem æternitatem ritè comparatus, eo die ad ſupplicium producitur, ac crati vimineæ de more impoſitus, cum Joanne Grovio ad furcas Tyburni rapitur. In viâ tanquam in triumpho ductus, omnes ad ſpectandum effuſos vultu hilari aſpexit, notos humaniter conſalutavit, ac Socium Grovium ad extremam luctam

Digitized by Google

animavit. Sub furcâ conſiſtens, nihilque de priſtinâ vultus hilaritate remittens, gravi oratione innocentiam ſuam teſtatus eſt. Converſus enim ad circumfuſum populum:

In hunc locum, inquit, *ut in poſtremum mundi theatrum conſcendi, adeoque impoſitam mihi loquendi obligationem judico. Fateor inprimis me cunctis, qui ſe morti meæ quocunque modo immiſcuêre, ex animo ignoſcere. Palam deindè profiteor, mihi, reus ſi eſſem cujuſcumque proditionis, aut quemcumque, etiam Parentem, eo crimine teneri ſcirem, eandem obligationem incumbere: Pro me ipſo certè*, reus ſi eſſem, *à Deo & hominibus veniam iterùm iterùmque precarer. At cùm compertum habeam fidem mihi non adhibendam, Divinæ me miſericordiæ committam, à quâ per Chriſti merita, veniam me conſecuturum ſperabo. Annis viginti in Belgio traductis, Menſe Iulio Anni proximè elapſi, in Angliam trajeci, eò, niſi morbo fuiſſem detentus, denuò rediturus. Tertio elapſi Auguſti in Comitatum Staffordienſem iter arripui, neque in Vrbem ante decimum-quartum Septembris reverſus ſum, ut teſtari multi poſſunt, cùm in eo Comitatu, & locis vicinis ſexcenti me viderint: quomodò ergo hac in Vrbe proditoriis conſiliis eo tempore me implicuerim, non ſatis intelligo.* *P. Irelandi poſtrema verba.*

Tum Vice-Comes interpellans, *Tempus*, inquit, *ſimili diſcurſu, cui nemo fidem adjiciet, malè terendum non eſt, neque Comitiorum Iudiciarium acta in jus à te vocanda*: Cùm Pater in preces effuſus.

Deum, inquit, *ſupplici prece invoco, ut in Sacram Regis Majeſtatem, Reginam, Ducem Eboracenſem, omnemque Familiam Regiam, ac Regnum univerſum, ſuæ benedictionis theſauros copioſiſſimè effundat. Catholicos, ſi qui adſint, enixè precor ut precibus ſuis in mundum meliorem mihi tranſitum exorent, Deumque Chriſtianis omnibus propitium reddant. Deum rogo ut hoſtibus meis veniam largiatur, quam ipſis ex intimo corde concedo: bonoſque adeò omnes, ut mecum & pro me orent, ſuppliciter efflagito.*

Non levi populi admurmuratione hæc dicta fuêre, cùm poſtrema morientium verba magni ubique ſint ponderis, nulloque emolu-

Digitized by Google

mento Pater ad mentiendum induci potuerit, cùm Divino mox Tribunali ſiſtendus de verbo etiam otioſo rationē eſſet redditurus. Joannes Grovius Patrem excipiens, *Innocens*, inquit, *ſum, mihique magnâ injuriâ vita eripitur: Deum rogo ut iis qui cauſam dedêre benignè ignoſcat.*

& Ioannis Grovii.

Thomæ Pickeringo dilatum ulteriùs ſupplicium, ſed cùm hoſtes nihil de conjurationis conſcientia exprimere poſſent, & ipſi eodem fato occumbendum fuit, quod fortiter pertulit nono Maii Anni 1679. Dictu difficile eſt, quibus exundantis gaudii ſignis ad ſupplicium ductus fuerit: nullum certè finem fecit ſuam prædicandi felicitatem, quod falſo crimine in odium Fidei condemnatus, Deo & Juſtitiæ vitam daturus eſſet. Sub furcâ conſiſtens, vultus amœnitate potiùs, quàm oratione innocentiam ſuam vindicavit: Populum his ſolùm verbis allocutus: *Per ſpem*, inquit, *quam habeo æternæ ſalutis conſequendæ. Sceleris cujus condemnor, adeò innocens ſum, ut illud nec cogitatione admiſerim, nedum complere opere tentarim.* Reſte ad collum alligatâ, & jamjam de ſcalâ ejiciendum hortantur denuò, ſe reum fateatur: cùm elevato pileo nocturno, quem oculis obduxerat, ſubridens ait: *Eſtne hic vultus hominis tanto in flagitio morientis*? Quo dicto vitam piè religiosèque traductam ſancto fine concluſit.

Pickeringi ſuppliciū

P. Irelandi vita et mores.

Natus eſt Pater Gulielmus Irelandus nobili loco in Lincolnienſi Angliæ Provinciâ, & Adoleſcens à piis Parentibus Audomarum miſſus, dum litteris ibi operam navaret, eà raræ virtutis argumenta edidit, ut cæteris exemplo eſſet. Magiſtrum nactus eſt Patrem Eduardum Keines, virum pietate ac doctrinâ eximium, quem antea diximus, Londini in ſpontaneo obſequio peſtiferorum cecidiſſe victimam charitatis. Is hoc vitæ futuræ vaticinium potiùsquàm adoleſcentiæ encomium proferens, *ſervum fidelem & prudentem* Irelandum ſemper appellavit. Virtutis & litterarum ſtudio ita ſe ſemper dedit, ut ſociis palmam utroque præriperet. Abſolutis ſtudiis humanioribus, in Societatem admiſſus, pari laude tyrocinium & ſtudiorum ſeveriorum ſtadium percurrit: interjecto inter Philoſophiā & Theo-

Digitized by Google

logiam quadriennio, quod erudiendæ nobili Iuventuti in Audomarenſi Collegio poſuit. Mox ſtudiorum Præfectum, & deindè Tyronum Magiſtri Socium agens, quem à teneris hauſit, teneris mentibus virtutis amorem infudit. A quietiori hoc vivendi inſtituto, ad negotia publica, velut ex umbrâ in Solem evocatus, latiorem campum invenit, ubi virtutis ſuæ radios, quæ ſine hoſte languet, & quaſi ſepulta tenebris jacet, latiùs explicaret. Procurator itaque Audomarenſis primùm Collegii, poſtea totius Provinciæ conſtitutus, utrobique occaſionem reperit, tum alias virtutes, tum præcipuè, quà ſemper excellebat patientiam ſummam exercendi. Hanc injuriis & ſarcaſmis ſæpius de induſtriâ tentatam, ita ſemper coluit, ut quæ in ipſum acerbius dicebantur, vel amœniore joco, vel placido riſu rejecerit. Vultu ſemper eodem conſpicuus, quem in Sapientibus ſuis admirata eſt, prædicavitque antiquitas. Hæc animi ejus æquabilitas in rebus arduis maximè eluxit, futura quantum potuit, proſpexit, & quæ præſentia erant *fortiter* ſuſtinuit. Triennium jam propè in Anglia exegerat, quà in publicum animarum lucrum, quà in privata Provinciæ ſuæ negotia intentus, cùm fictæ Conjurationis reus in judicium vocatur; & omnium quidem primus, daturus cæteris invictæ ſpecimen virtutis. Quid memorem tetri carceris pedorem, & immane pondus catenarum, quibus exesâ carne hiabant oſſa, magnâ aliorum admiratione, nec minore ſuo in ferendis cruciatibus patientiæ documento. Latam in ſe Mortis ſententiam, ut expectabat avidè, ita tulit intrepidè. Raptus poſtea ad ſupplicium, immoto vultu, & quidem alacri excipiebat convitia, quæ in eum evomuit furibunda plebs. Ubi ad ſupplicii locum deventum eſt, præſenti ſemper animo, ſuam, ſociorumque & Catholicorum omnium innocentiam conteſtatus, veniam primò indulget accuſatoribus, dein Regi optimè precatus, in manus Creatoris ſui animam commendat, tertio Februarii, Anno 1679. ætatis quadrageſimo-tertio: Religionis initæ vigeſimo-quarto: Profeſſionis quatuor

Digitized by Google

Votorum ſexto. Defuncti veſtium fruſta, tincta ſanguine ſudariola, & exiguas carnis particulas magno pretio à Carnificis Miniſtris redimerunt Catholici: eaque gemmarum loco habuêre, & etiamnum ſervant, Deo per crebra prodigia, eorum pietatem confirmante. Fama certè minimè inconſtante ſpargitur, epotâ aquâ, cui tinctum Patris ſanguine linteum immiſſum fuerat, varios morbos depulſos, multiſque animi quietem redditam fuiſſe.

Digitized by Google

Thomas Harcottus Provincialis cum quatuor Sociis dictâ capitis cauſâ Perduellionis condemnatur.

Quamvis nimium ſanguis effuſum ſit,

LICET tot victimis Oatis & Complicium furori immolatis, nimium ſanguinis effuſum videri poſſet, ſperaſſetque P. Irelandus placatum ſuâ morte Numen, modum ulteriori Catholicorum perſecutioni poſiturum, tamen, niſi caderent illi, qui primas in Conſpiratione partes egiſſe dicebantur, exſaturari Factioſorum libido omninò non potuit. Quare anno milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo-nono, Menſis Iunii decimo-tertio, ad dicendam capitis cauſam evocati ſunt Patres Thomas Harcottus Provincialis, Gulielmus Waringus Rector Londinenſis, Ioannes Fenwickus, Antonius Turnerus, & Ioannes Gavanus. Conſtabat illicò Comitia qualem habitura eſſent exitum; deque Patrum vitâ jam tum conclamatum eſſe, oculatus quiſque præſentiebat. Certè Provincialis amico benè ſperare jubenti, liquidò repoſuit; Angelum, ſi de Cœlo adeſſet innocentiæ ſuæ teſtis, fidem minimè facturum. In ipſo cauſæ limine quæſti ſunt Harcottus & Fenwickus, ſe iterum ſiſti Tribunali, ut criminibus antea objectis denuò reſpondeant; leges non ferre, ut quis in capitis diſcrimen unâ accuſatione bis vocetur:

vocantur ad Tribunal alii.

Harcotti & Fenwicki juſta exceptio.

debuiſſe ſe primo judicio, ſi duo comparuiſſent teſtes, condemnari, abſolvi ſi unicus: finem alioqui cauſis nunquam imponendum, ſummo reorum tum incommodo, tum periculo. Rejecêre exceptionem Iudices, id aliàs factum aſſerentes, præſertim cùm in acta relatum non eſſet eos alterius defectu teſtis, indemnes abiiſſe. Mirum permultis viſum, acta jam requiri, quæ toties dum ea Rei exhiberent, iidem Iudices rejeciſſent. Sed Scroggio nova jam objici crimina, ac novis etiam teſtibus probanda dictitante, Patres cauſam ſuam, ut moris eſt, Deo & Patriæ dijudicandam commiſerunt.

Repellitur.

Oates in Curiam vocatus, juſſusque, quorum reos acceſcere poſset, ea diſtinctè depromere, Patribus Harcotto, Waringo, & Fenwicko objecit, toties decantatam vigeſimo quarto Aprilis, vel juxta variam ſtyli differentiam, quarto Maii habitam ad Equi Albi conſultationem: quæ ibi geſta, quomodò ſoluto numeroſiori congreſsu in minores cœtus abiverint, gratâ omnium admurmuratione denuò repetit; ſe etiam mari, cum Ioanne Warnero, & Thomâ Præſtono, remenſo advolaſse Londinum, ut congreſsui intereſset. In eo ſe Gavanum & Turnerum non vidiſse, certò tamen ſibi conſtare, minori cœtui in Fenwicki cubiculo interfuiſſe Turnerum, & utrumque actis conſenſiſſe, ſuoque firmaſse chyrographo. Sic cunctis unâ voce impetitis, cunctos, ut potuit, læſæ Majeſtatis reos conſtituit. Huic criminationi aliquam veri ſpeciem attulêre binæ litteræ inter abjectas Waringi epiſtolas compertæ; unis nimirùm ſeverum cunctis indicebatur ſilentium, ne *conſilium* palam fieret: alteris Provinciali ſubmiſsas Româ litteras patentes amicus gratulabatur.

Rurſus objicitur conſultatio ad Equi albi.

Robur accedit à binis litteris.

Ut iniquam criminationem repellerent ſanctè proteſtati ſunt Patres, habitam quidem fuiſse congregationem, ſed neque eo in loco quem Oates aſſignaverat, neque aliam omninò quam quæ recepto Societatis more, tertio quoque anno in ſingulis Provinciis haberi aſſolet. Ad hanc autem nè Præpoſiti quidem Generalis licentiâ admitti

Refutatur Oates ratione,

Digitized by Google

admitti potuiſſe Oatem, utpotè cui ex Conſtitutionum immutabili præſcripto, ſolis Profeſſis Societatis, aut Rectoribus intereſſe fas eſt. Ad hoc telum de Oatis à congreſſu abſentiâ (quâ ſtatutâ ruere neceſſe erat, totius fabulæ molem) fortiùs contorquendum, citati quatuordecim Adoleſcentes (generis claritate plerique, morum autem innocentiâ omnes conſpicui) qui unanimi ſententiâ teſtati ſunt, Oatem toto illo tempore, quo Londini Patres convenerant, hæſiſſe Audomari, neque à decimo die Decembris Anni milleſimi ſexcenteſimi ſeptuageſimi-ſeptimi, ad vigeſimum-tertium Iunii anni ſequentis, vel indè moviſſe pedem, niſi quod Wattenis (duabus leucis Audomaro diſſitis) ſemel pernoctârit. Hoc iis recenſitis probabant, quæ ad æquum Tribunal fidem feciſſent: Oatem in triclinio, ſcholâ, & recreationis habendæ loco ſemper obſervatum, perverſis hominis moribus, quotidianas penè hiſtorias excitantibus. Et quoniam Oates inter itineris ſui ſocios Ioannem Warnerum, & Thomam Præſtonum, quos ubique vocat Equites Auratos nominarat, quinque alii teſtes producti, illum Wattenis, hunc Leodii toto Congregationis tempore commoratum luculenter commonſtrarunt. Hos licet neuter quarti Voti ſacramenti obſtrictus, alter nec Sacerdotio eſſet initiatus, Oates inſerendos Fabulæ putavit, ut frequenti dignitatis, quâ in vitâ ſæculari eminebant, recurrente mentione, authoritatis, & divitiarum oſtentatione fucum ignaris faceret. *& teſtibus.*

Præviderat Oates, Walleri Equitis auxilio, ſe nube teſtium obruendum, cenſuitque ad fulciendam teſtimonii ſui fidem, teſtibus pariter agendum. Sex igitur, ſeptemve oppoſuit, ſed cauſæ ſuæ parùm faventes. Hi enim affirmabant Oatem à ſe viſum Londini ſub finem Martii, vel initium Aprilis; illi circa medium Maii: quos ſe ſuis teſtimoniis confixiſſe, vel ipſe probat Oates, cum iis ſe temporibus Audomari fuiſſe ultrò faſſus ſit. Sed in morâ quam Londini traxit, non ſibi planè conſtitit: primò enim, ſex tantùm diebus, in Urbe ſe dixerat hæſiſſe: id tempus ejus Patroni in deci- *Oates aliis teſtibus ſe defendit.*

Digitized by Google

mum diem, ipſe mox in vigeſimum produxit, quo dubium relinquit, an ſe ipſe tempori, an tempus ad ejus ſe nutum accommodarit. Cæterùm neque his artibus teſtium ſuorum oracula conciliare potuit, quæ res majori temporis intervallo geſtas complexa, majorem Londini quàm viginti dierum moram exigebant. Sed comparuêre tandem Smithæus Iſlingtonienſis Ludimagiſter, & Senex quidam decrepitus, qui Aprili, vel Maio egiſſe ſe cum Oate teſtantes, rem eviciſſe Iudicibus viſi ſunt. De his id unum pronunciamus, hunc mortis interminatione, ut teſtatus eſt qui aderat Cuſtos carceris, ad ferendum teſtimonium à Wallero Equite inductum: illum verò ſcripto typis edito, palam falſum, ſe falſum hac in re jusjurandum dixiſſe. Sed hic rurſus Oates ſui immemor; productis enim teſtibus, quæ in causâ Irelandi dixerat, non obſcurè refellit. Tunc enim rogatus, ut vel uno teſte ſe Londini fuiſſe probaret, quaſi iniquâ interrogatione excandeſcens, in Grovii, inquit, ædibus, mutato, cum veſte, nomine delitui: nunc verò vagari per plateas, variis conſortiis ubique ſe ingerere, ac cum multis familiariter agere: variabili quidem dictorum fide, ſed invariato in ipſo tuendo Iudicum conſilio.

ſed ineptè.

De P. Irelandi Londino abſentia.

Rebus ita peractis, & reſuſcitatâ, quamvis repugnantibus ſub initium Comitiis, de Irelandi Londino abſentiâ quæſtione, comparuêre complures, omnis ferè generis, ſectæ, ordinis, teſtantes Patrem Irelandum à tertio die Auguſti ad decimum-quartum Septembris in Comitatu Staffordienſi, locisque remotioribus hæſiſſe quo tempore Oates & Bedlous cum eo ſe in Urbe egiſſe jurati dixerant: ut vel indè conſtaret hujuſmodi teſtibus quæ fides eſſet adhibenda. Adfuêre inter cæteros Southcotti duo, è Chillingtoniâ Familiâ Giffordi quatuor, Bidulphus Bidulphi Dominus, duoque Pendrelli, quorum hi ſecundo Septembris, (qui dies erat quo ab Irelando pecuniam accepiſſe ſe jurarat Oates) Boſcobellæ, locisque vicinis Patrem vidiſſe ſe teſtati ſunt. Nihilominùs tot tantorumque Virorum conſentientibus dictis apud

Digitized by Google

iniquos Iudices præponderavit unius Ancillæ vox, aſſerentis Irelandum à ſe Menſe Auguſto Londini in tranſitu ſalutatum.

Refellitur accuſatio à litteris deducta.

Quantùm ad litteras interceptas, reſponderunt Patres conſilium ſibi non aliud fuiſse, quàm triennalem Congregationem ſolito more celebrandi, eamque ſecretò teneri oportuiſſe, tum propter legum ſeveritatem, tum propter inſtantia Senatûs Comitia; quibus parùm Sacerdotibus tutum erat comparere in publico, nedum Cœtum tam numeroſum cogere. Porrò litteras patentes, quarum ibi fiebat mentio, illas fuiſse quibus à Patre Generali Harcottus nuper fuerat Provincialis conſtitutus.

Quæ ſingulis ſpeciatim objiciantur.

Hac, quæ cunctos generatim impetebat depulsâ criminatione, quid ſingulis fuerit ſpeciatim objectum, paucis examinandum.

Quæ Harcotto?

Harcotto impoſitum ab Oate, per litteras ipſum ſignificaſse Hibernos ad arma ſumenda paratos; Wakemanno Equiti quindecim librarum millia obtuliſſe, venenum ut Regi propinaret. His Dugdallus adjecit, eum per litteras Patri Franciſco Everio in mandatis dediſse, ut viros fortes & fidos ad inferendam Regi necem deligeret, has litteras Curſori ordinario traditas, ſibi in manus veniſse, cui Harcotti character, ex quo ipſum ſemel olim ſcribentem vidiſset, notiſſimus eſset. Bedlous demum adjecit egiſse Patrem cum Colemanno de ſubmittendis Sicariis, qui Regem Windeſoriæ commorantem confoderent.

Ad hæc Harcottus paucis, Oatem virum notæ infamiæ, & ſolis criminibus conſpicuum, non modò incredibilia aſserere, verùm etiam quoad temporis & loci circumſtantias apertè ſecum pugnare: Dugdallum, facto nuperrimè à Regiis Commiſſariis experimento, ipſius characterem penitùs ignoraſse, mirumque videri unicâ ſcriptione tam familiares ipſi redditas Patris notas, ut eas multis poſt annis dignoſceret: fidem verò omnem excedere, quempiam ſanæ mentis litteras argumento adeò nefario conſcriptas, Curſori ordinario tradidiſse. Bedloi autem teſtimonium nullâ lege admitti poſse, cujus ipſius ore, eâdem in causâ priùs fuiſset

Digitized by Google

abſolutus, cùm juratus negaret ſe quicquam habere, quod ipſi objiceret. Perjurum certè in alterâ causâ Bedloum eſse oportere, quum quæ antea negârat, nunc depromat, licet utrobique, *nonniſi veritatem, & totam veritatem*, (ea eſt jurisjurandi formula) proferre teneretur: in uno peccaſse, vel cœcos videre.

Quæ Waringo? Ad Waringum nunc tranſeundum, quem prædictis quatuor Sicariis in ſceleris incitamentum libras octoginta, Wackemanno verò bis mille numeraſſe: ac ſua deinde de Rege perimendo conſilia Prancio aperuiſse. *Quæ Fenwicko.* Fenwickum eorundem fuiſse conſiliorum participem, conſtituiſse Grovio, & Pickeringo ſe comitem jungere, ac varios, de ſtabiliendâ vi & armis Religione Catholicâ, ſermones habuiſse. *Turnero,* Turnero objectum, quod privatis Fenwicki congreſſibus præſens, conjurationem in Staffordienſi Provinciâ ante biennium promoviſset. *et Gavano.* Gavanum denique accuſant teſtes Regii, quod ad res novas moliendas clam populum concitaſſet: neque immunem eſse ab attentatâ Regis nece, quod Dugdallum incitarit ad eam inferendam. Pecunias ad promovendam conjurationem neceſſarias corraſiſſe, emuncto à prædicto Dugdallo grandi ære, ſed in cœlis reddendo, quibus in præmium ſceleris inferendus, ac albo Sanctorum aſcribendus eſset.

Queſti Patres difficilem eſſe negativæ propoſitionis probationem, pro ſe quiſque ut potuêre, tam infames calumnias amoliti ſunt. *Waringi defenſio.* Waringus anteactæ à ſe vitæ, morumque notam integritatem, cum Accuſatorum ſuorum vulgatis flagitiis, ac publicâ infamiâ componens, Judicum fidem obteſtatus eſt, ſibine an illis crederent. Reponit Scroggius è more Curiæ non eſse ut Rei teſtes calumniis aſpergerent: eos multis criminibus inquinati ſi ſint, aptiores videri, qui in ſocietatem ſcelerum à Patribus vocarentur; à ſceleratis certè, hominum nefariorum conſilia eruenda, cùm alii cauſæ tam tetræ nunquam ſe immiſceant. Exceptum cum plauſu reſponſum, quod umbrâ veritatis involutam fallaciam tegeret. Sceleratum quidem eſse, tantum facinus ſuſcipere nemo negaverit, ſed cùm Religionem

Digitized by Google

ubique, vel Oate teſte, obtenderent conjurati, hominibus, vel nullius, vel verſatilis fidei, talia negotia committenda non videri; cœco zelo abductos, & quos mixtus ignorantiæ indiſcretus ardor abriperet, nec alios omninò, tali operi admovendos.

Hunc excipiens Fenwickus, criminum objectorum falſitatem, vel indè evinci aiebat, quod cùm exercituum & militum conſcribendorum frequens fieret mentio, nullibi arma, aut bellici apparatus appareant: ubi deindè patentes commiſſorum munium litteræ? magnum hìc eſse ſilentium, Catholicis quibus diſtributæ finguntur, in carcere languentibus, cùm ſi eas exhibere, aut vellent, aut poſsent, libertati reſtituendi, ampliſque donandi muneribus eſsent. *Fenwicki ratiocinatio.*

Tum Gavanus & Turnerus Oatis mirari impudentiam, quod ſe jam ut notiſſimos grandium arceſsat criminum, cùm paucis ante menſibus, coram Rege, & Concilio Secretiori, ignotos ſibi eſse dixiſset; Turnerum etiam alieno compellaſset nomine. Premi ſe ſentiens Oates, ad antiquas artes confugit: *Habitum*, inquit, *mutaras, ac aſcititiis capillis aliam perſonam indueras*: quod quàm inſulſum ſit, nemo non viderit, cùm Turnero nulla diſſimulandi cauſa eſse potuerit, qui ſe ipſum conſuetâ veſte, ſuoque ac non alieno capillo, in carcerem ſpontè tradiderat. Ad res, inquit Turnerus, in agro Staffordienſi geſtas, ſanctè aſsevero me in illâ Provinciâ à quadriennio non fuiſse. Idem erat Gavani reſponſum, ſe ſcilicet in remotioribus hæſiſse Provinciis, cùm Londini ſceleratis eum interfuiſse conſiliis juravit Oates. Dugdalli autem criminationem ſe ipſam refellere, qui ſe nummos copioſè ad promovendam conjurationem contuliſse vaniſsimè narrat. Undè enim pauperi tantæ divitiæ? Æs alienum cùm diluere non poſset, ac de repetendis etiam poſtularetur, Baronis Aſtoni juſſu in carcerem fuiſse cõjectum; digno ſceleribus præmio, ob quæ inter Sanctos nemo unquam aſcribitur. Hæc illi, ſed ſurdis, ut deindè patuit, canebant. Nam ubi Gavanus, cauſæ totius ſeriem, non minori eloquendi ubertate, quâ Auditores ſummè rapuit, quàm animi robore expoſuiſset momenta rationum, *Mirùm Oati Patres ante ignotos, nunc notiſsimos.*

nam cæteri abierunt; quaſi timeret ne cum fatuis Virginibus ſerò veniens à nuptiali convivio excluderetur.

Spectantium tranſeuntes innumerabilis ferè erat hominum multitudo, ac proindè variæ, diſcrepantesque ſententiæ. His mirantibus homines, ut putabant, tanti ſceleris reos, tantâ vultûs hilaritate ad ſupplicium trahi: aliis verò illorum indè innocentiam concludentibus, palamque proclamantibus ſub Angelico vultu tantam latere malitiam non poſse.

Ad Furcas tracti, jamque carræ impoſiti, multum temporis in precibus, nunc depreſsâ, nunc clara elataque voce poſuêre. Tum ſinguli plebem circumfuſam allocuti gravibus verbis, vocatoque in teſtem Deo ſe innoxios mori proteſtati ſunt, ac veniâ accuſatoribus datâ, Deumque pro Regis ſalute precati, denuò orationi ſe ſe dederunt, & junctis capitibus, factâque peccatorum brevi, ut creditur, confeſſione, ſeſe mutuò abſolverunt. Mortuis, ut Patri Irelando factum, abſciſsa capita, combuſta viſcera, & corpora in quatuor partes diſsecta, Rege permittente, ut ſepulturæ traderentur.

Vario animorum motu, innumerabilis hominum multitudo funeſto ſpectaculo adfuit; Catholici Innocentium ſtrage indoluerunt, ut qui non minùs de ſuâ quàm illorum causâ conclamatum eſſe viderent. Certè quos carceres tenebant incluſos, quaſi eodem tacti fulmine, indies ad Tribunal ſe rapiendos, eodemque cauſam ſuccesſu dicturos meritò timebant. Hinc de condendis teſtamentis cogitare, Tutores liberis eligere, ac quod præcipuè in eo rerum articulo neceſsarium fuit, ad felicis aditum æternitatis omninò ſe præparare. Quibus verò liberum fuit intereſſe ſupplicio, ii ſanguinis pro Chriſto, ut credebant, effuſi guttas, ac carnis particulas, ut piâ aviditate corradebant: Deo, eorum precibus, morbos depellente, aliaque mira patrante, ut humanâ fide aſſerunt teſtes locupletes.

At qui Conjurationi fovendæ ſtudebant, aliis oculis Patrum ſupplicium ſpectabant. Amotis rebellium Principibus, nil Regi aut publico

Digitized by Google

publico ampliùs timendum dictitare; favere Deum Religioni Proteſtantium quæ de debellato Papiſmo jam eſset triumphatura, & eò quidem glorioſius, quò plures ex infami Jeſuitarum gente pœnas darent ignominioſius. Inter cæteros Thomas Armeſtrongus Eques Auratus palam affirmavit, nullum ſibi unquam diem illuxiſſe lætiorem, quàm quo quinque Jeſuitas pendentes è reſte, & diſsectis corporibus perduellionem luentes vidiſset: ignarus quid ſibi paucis poſt annis eodem die eſſet obventurum.

Richardus Langhornius, quod ex eo crederetur aliquid de Conjurationis conſcientia eruendum, eodem die plexus non eſt. Tentata itaque modis omnibus ejus conſtantia: & quum morti jam addictus, non habebat quod amplius timeret, blanditiis impetitur. Si ſui nullam, aliquam ſaltem familiæ rationem habeat: Uxori, liberiſque proſpiciat, quos eodem ſecum, niſi tempeſtivè ſapiat, fato involveret. Fateatur tantùm factam eſſe Conjurationem, eique ſe vel leviter implicitum: cur jam hæreat, cùm res in comperto ſit; verbo uno amplas opes, honorifica munia, & quicquid optare poſſit promeriturum, ſin autem, probrosâ morte meritas ſcelerum, quas jam facilè redimeret, daturum pœnas. Firmiori erat animi robore Langhornius, quàm ut falſo crimine Catholicum nomen injuſtè aſpergeret. Quare omnibus conſtanter pernegatis, die decimo-quarto Menſis Iunii ſupplicio affectus, vitam pietatis & juſtitiæ laude commendatam, raræ fortitudinis exemplo concluſit.

P. Thomæ Harcotti, & Sociorum ſancti Mores, & poſtrema in loco ſupplicii verba, Conjurationi fidem penitùs detrahunt.

CUM nihil æquè ac perpetuus in omni vitâ probitatis eximiæ tenor, & Tribunali Divino jam jam ſiſtendorum ſacræ Proteſtationes ad falſæ criminationis invidiam depellendam juvent: quos jam ut infamium ſcelerum reos morti adjudicatos vidimus, ii haud dubiè inuſtam ſibi maculam abundè abſterſerunt. Candore morum in adoleſcentiâ, in conſtante ætate continuis virtutum incrementis, & quorum erat vita productior, urgente ſenio, raris prudentiæ, & cœleſtis cujuſdam converſationis documentis conſpicui erant omnes, quos, ut omni ſcelere inquinatiſsimos, traduxit Oatiana impietas. Neque verò ſolis hac in re nobis credi volumus; fidem non rogamus, quam extorquet eorum à quibuſcum egerunt conſtans teſtimonium; certè qui eos noverunt univerſi amplo præconio efferunt, perpetuam in omni vitâ moderationem, eximium animas Chriſto lucrandi ardorem, humilitatem, charitatem, omnisque, quæ

Digitized by Google

Virum Religioſum ornat, virtutis ſtudium: ut cum Tertulliano hâc in causâ dicere potuerint *Apologias non ſcribimus, ſed vivimus:* mortem deindè ſanctè obiviſſe, novæ laudis ſplendore priorem vitam illuſtrat: hanc verò, ut tulêre fortiter, ita cum hoſtium admiratione, piè ſanctèque ſubiêre: eoque ardore poſtremùm locuti ſunt, ut non ſe modò ab omni ſceleris umbra vindicarint; ſed torrentis, qui Catholico nomini ruinam minabatur, impetum ſtiterint, ac mitiora Angliæ tempora reſtituerint, ut inferiùs dicetur. Nunc ſingulorum res geſtas paucis perſtringamus.

P. THOMAS HARCOTTUS.

Dilectus Deo & hominibus P. Thomas Harcottus, verè *White-bread*, in Comitatu Elsexienſi, nobili ſtirpe progenitus, poſt pueritiam piè in Angliâ traductam, prima doctrinæ elementa Audomari, & deindè Religioſæ vitæ Tyrocinium Wattenis poſuit. Elegantem corporis formam, illuſtrior ornabat animus, qui virtutis ſuæ radios, rarâ modeſtiâ, & pietate, intuentibus ingerebat. In familiari conſortio conditam grato lepore gravitatem ſemper exhibuit: nulli moleſtus, urbanus omnibus, quorum etiam animos ſingulari in Muſicis peritiâ ſibi conciliabat. Talis ergo ſocios, qualem ſe Superioribus præbuerit facilè eſt conjectare: eorum certè nutui ſe regendum ita permiſit, ut ipſorum placitis in omnibus acquieverit. Emenſo ſtudiorum ſeptennio Leodii, in Angliam trajecit jam Sacerdos, quam eximio animarum fructu, annis pluſquam triginta, excoluit. Orationis ſtudium in omni vitâ adamavit, ut optimum novas gratiæ ſuppetias à Deo impetrandi modum. Hanc porrò non ſibi ſolùm, ſed cæteris etiam, præſertim Heterodoxis, quorum ſalutis erat ſitientiſſimus, ferè aſſiduè implorabat. Tum in opus tam ſanctum ſtrenuè incumbens, nullum finem fecit, ſpiritualibus proximi neceſſitatibus ſubveniendi. Viſus eſt aliquoties, longiùs excurrere (eo ardebat divinæ gloriæ propagandę deſiderio) cum debilitatis

P. Harcotti natales, & educatio.

Vita religioſa.

Obedientia.

Labores in Anglia.

Charitas

Digitized by Google

Elucubrationes. viribus, neque pedibus conſiſtere, neque in equum ſolus conſcendere poſset. Ut laboris ſui fructum, ultra mortalis vitæ terminos extenderet, calamo eleganti & forti, libellos de rebus Controverſiæ compoſuit, in quibus etiamnum vivit, aliiſque animæ vitam impertit.

Munia, Quo tempore animarum bono tam ſedulò vacavit, bis rexit Collegium Apoſtolorum, & ſemel Sancti Dominici, eâ ſemper animi demiſsione, ut ſuos ſibi defectus aperiri voluerit à ſubditis. *Vaticinium.* Provincialis factus, dum Collegium Leodienſe viſitaret, mortem ſuam, ejuſque modum, & imminentem Catholicis perſecutionem prædixit publicè: eo animi ardore de inſidiis, carceribus, ac ipsâ demùm morte, Chriſti nomine ſubeundâ, diſſerens, ut facilè appareret quo animo laturus eſſet præſentem, qui tam fortiter futuram procellam annunciaret. Mirari Socii quorſum iſta, cùm alia omnia ſperare juberent tempora, quæ tunc ſingulari Caroli Regis gratiâ pacatiſſima erant. Laudare itaque concionantem, vaticinantis mentem non ſatis aſſequi. At mox eventus docuit, undè iſta hauſiſset, & quo fine vulgaret. Nondum enim elapſo bimeſtri, mutatur in Angliâ rerum facies, ſuſdeque turbantur omnia, jamque reducem Provincialem excipiunt, quæ prædixit, vincula. Æger in carcerem ductus, catenis oneratur, quibus dum gravior tuſſis accederet omnem *Quæ in carcere paſſus.* ipſi quietem eripiebant. Quare noctes inſomnes ducere, & quod reſtaurandis corporis viribus deerat, mentis ardore, & continuatis precibus reſarcire. Fieri non potuit, ut catenarum ſtridor, & continua tuſsiendi neceſsitas, vicinis mixtum commiſeratione dolorem non incuteret; certè in proximo cubabat cubiculo, Matrona gravis, quæ miſericordiâ tacta, vel illum vinculis levari, vel ſe aliò transferri enixè rogavit: nè, ut aiebat, alterius miſeriâ contabeſceret. Hæc inter longâ oratione & piis commentationibus tempus terebat, atque animi vigore infirmi corporis vires ſuſtinebat: ſæpiùs æger ac morti proximus, ſæpiùs reſumpto ſpiritu reviviſcens. Ea fuit Senatûs benignitas, ut cùm periculoſiùs decumberet, Medicos alioſque curandæ

Digitized by Google

ſanitatis adjutores indulſerit: ita ſcilicet Numini placuit, ut valetudine hoſtium etiam operâ, recuperatâ, in difficilius certamen deſcenderet, ac moriens triumpharet.

Exegerat jam menſes aliquot in publicâ Urbis cuſtodiâ vinctus in Domino, ut ſibi nullius conſcius criminis, ita cujus inſimularetur omninò ignarus: cùm ecce ſiſtitur Tribunali reus (ut volunt) in Regem Conjurationis, reverà in odium Fidei. Ac dictâ causâ, mortis ſententiam lætus excepit; neque minori alacritate, vultuſque ſerenitate infami trahæ impoſitus, ad Tyburni furcas, Sacerdotum ſanguine copiosè reſperſas, deductus eſt: ubi, poſt aſſertam innocentiam, fuſaſque ad Deum pro Rege preces, & datam accuſatoribus veniam, conſueto perduellium ſupplicio obiit vigeſimo Junii Anno Domini 1679. Ætatis ſuæ ſexageſimo-primo, initæ Religionis quadrageſimo-quarto, Profeſsionis quatuor Votorum vigeſimo-ſeptimo. Priuſquam carrus, cui de more gentis inſiſtebat, ſubduceretur, his verbis populum allocutus eſt. *Accuſatur læſa Majeſtatis.* *Damnatur, & patitur.*

Expectari à me reor, ut pauca dicam de crimine, quo condemnor, & ad quod hîc morte luendum depoſcor. Nihil minùs objicitur quàm deliberato conſilio mihi fuiſſe conſtitutum, violentas Regi manus afferre, & ſtabilitum Eccleſiaſtici & Politici ſtatus regimen evertere. Vel ſcitis qui adeſtis omnes, vel ſcire vobis incumbit, me brevi Divino conſpectui offerendum, ut ſummâ, quæ concipi poteſt, certitudine, & evidentiâ, de omnibus, quæ cogitatione, verbo, vel opere totâ vitâ deliqui, ultima ſententia ſtatuatur. In hoc itaque rerum mearum articulo ad dicendam veritatem ſeverè obligor: adeóque coram Deo, & per ſpem veniæ, quam à Divinâ ejus Majeſtate aſſecuturum me ſpero, tum præſentibus omnibus, tum Orbi univerſo declaro, me criminis mihi intentati, ex hâc vitâ æquè innocentem diſcedere, atque cùm in auras ex utero Matris primùm prodii Abrenuncio prætereà omni indulgentiæ, abſolutioni, aut diſpenſationi, ad quidlibet jurandum, prout datâ occaſione commodum fuerit, quod nonnullis ut praxi & doctrinæ noſtræ conforme, placuit nobis imputare, licet ab omni veritatis ſpecie tam ſit alienum, ut *Patris poſtrema oratio.*

Digitized by Google

credam ſemperque crediderim nullam eſſe in terris authoritatem, quæ mihi aut alii cuicunque illud licitum reddat. Iis autem, qui me tantorum criminum falsò accuſaruut (prout in hoc vel altero ſæculo olim patebit) ex animo ignoſco, Deumque rogo ſuam eis gratiam ut largiatur, ut quæ injuſtè in me machinati ſunt, pœnitentiâ deleant: alioquin tandem deprehendent, ſe non mihi tantum, licet graviſſimè nocuerint, quantum ſibimetipſis damnum intuliſſe. Supplici à Deo prece poſtulo, Majeſtatem Regiam, tranſituris & æternis cumulet benedictionibus. Hoc prece quotidianâ poſtulavi, neque mali aliquid ſum ipſi unquam imprecatus. Inſuper in Divino conſpectu ſanctè aſſevero, me nunquam didiciſſe, docuiſſe, aut crediddiſſe, neque ut Catholicum credere poſſe, licere quacunque occaſione aut prætextu, Regis mortem machinari, aut ipſi damni aliquid inferre; ſed contra teneri omnes ipſum audire, defendere, & ab omni periculo indemnem conſervare. Denique coram illo qui cordis mei arcana rimatur, declaro, hunc verum apertumque animi mei ſenſum eſſe, idque tam ſanctè, & ſine ullâ æquivocatione, aut mentali reſervatione, quàm ſperem me beato ejus conſpectu aliquando fruiturum. Hæc de latâ in me mortis ſententiâ dicenda habui. Reliquum mihi eſt ut animam in manus Beatiſſimi Redemptoris commendem, cujus unius paſſione ac meritis ſalutem ſpero.

P. GULIELMUS WARINGUS.

Ejus Natales, P. Gulielmus Waringus in Provinciâ Lancaſtrenſi natus, & indè in Belgium tranſmiſſus, Societatem amplexus eſt Wattenis. Abſolutis Leodii ſtudiis, ac quatuor Votorum ſacramento aſtrictus, Anno milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo-ſexto in Angliam miſſus eſt, ubi meſſe illâ colligendâ annos quinque ſupra triginta poſuit. Moribus erat adeò compoſitis, ut cum ſæculari veſte perſonam *& Virtutes.* mentiretur, modeſtiam tamen, diuturnâ conſuetudine roboratam, tegere non poſſet. Indole erat adeò affabili, ut etiam Acatholicos ſibi devinciret. Ab urbanâ converſatione, gradum fecit ad colloquia

Divina, quibus conceptam priùs pietatis flāmam, in aliquibus alebat, in aliis accendebat. Orationi & Charitati ita deditus erat, ut illam non desereret, niſi dum hæc ad curandam proximi ſalutem avocaret. Porrò quantoperè juvandis aliis ſtuduerit, ſub nuperæ perſecutionis exordium, abundè patuit. Gnarus periculi, ſæpiuſque monitus ſe illi ut ſubduceret, induci nunquam potuit, ut fugam capeſceret, nè, dum ſibi conſuleret, alios ope ſuâ deſtitueret. Quare, licet Londini notiſsimus, grandi pretio ad carceres quæreretur, in Urbe conſtanter hæſit, non aliâ ſe arte celans, quàm frequenti veſtis nominiſque mutatione. Ceſſit ex voto pia fraus per menſes aliquot, cùm ecce quem mentitus habitus texit, prodidit modeſtia. Mirata enim Ancilla, neſcio quæ, compoſitos Patris mores, quem aliundè ignoravit, exindè Jeſuitam dixit, & Apparitoribus ſtitit. Adeò virtus, ut in tenebris gemma, luce ſuâ ſe prodit. Siſtitur poſtmodum Regio Conſilio venerabili canitie ſenex, & ipsâ oris ſpecie commiſerationem omnibus movit; quum Rex exquirere cur dudum proſcriptus, eò uſque in Angliâ ſubſtiterit? Cui Pater potuiſſe ſe, ſolum vertendo, mortem quidem diſtuliſſe tantiſper, noluiſſe autem Superioris injuſſu, aſſignatâ ſibi ſtatione excedere. Cæterùm mortem nec improviſam ſibi unquam fore, nec ingratam, utpotè longè ante perceptam animo, multiſque precibus petitam; poſtremis enim inquit vitæ annis viginti, nullus abiit dies quin eam votis omnibus à Deo poſtularem, neque dubito, ob piam importunitatem voto me aliquando potiturum. His dictis à Concilio ad carceres, & poſt latam publicè mortis ſententiam, ad Tyburnum ducitur, mortis haud dubiè contemptor quam præter aliorum morem, in deliciis habuit. Paſſus eſt vigeſimo Julii, Anno 1679. Ætatis ſeptuageſimo, Religionis quadrageſimo-octavo, Profeſſionis quatuor Votorum trigeſimo-tertio. His ad populum verbis, innocentiam ſuam vindicavit:

Londini charitatis ergo ſubſiſtit.

Suâ modeſtiâ proditur

Examinatur coram Rege.

Mortis deſiderium

Quam fortiter obiit.

Poſtremæ morientium voces, ſummi, ſi quæ aliæ, ad conciliandam Auditorum fidem, ponderis ac momenti eſſe ſolent: eo quippè temporis.

Supremis verbis inno-

Digitized by Google

centiam tuetur. *proferuntur, quo ſummi Judicis tribunali ſiſtendi ſunt Rei, earundem illi rationem reddituri: ut ſpe hinc erigar, mea hæc ſuprema verba non alio apud vos loco futura. Quapropter coram Omnipotenti Deo, Curiâ Cæleſti universâ, ac frequente huc confluentium coronâ ſanctè profiteor, me, ut aſſequendæ dulciſſimi Salvatoris mei JESV-CHRISTI Meritis & Paſſione, æternæ felicitatis ſpem habeo, ita eorum omnium, quorum accuſor, quorumque intuitu hic mihi moriendum eſt, manus adeò immunes habere, ac poſſet infantulus nondum in lucem editus. Execror penitùs, & abominor deteſtabilem illam,* *Falsò imputatæ doctrinæ renũciat.* *falsòque nobis impoſitam doctrinam, licentiam nobis fieri poſſe pro libitu pejerandi, aut aliud quodpiam peccatum, ubi cauſæ noſtræ intererit, admittendi, cùm hoc apertè repugnet Divo Paulo, qui vetat* facienda mala, ut eveniant bona. *Hinc omni caſu illicitum dicimus, cuicunque, ac longè maximè, legitimo Principi noſtro modò regnanti, violentam mortem conſciſcere: cujus jura contra omnes omninò hoſtes, vel vitæ fortunarumque diſcrimine uſque tuebimur. Ignoſco* *Ignoſcit omnibus.* *omnibus, qui mortis meæ authores exſtiterunt: Deumque humiliter rogo ut veniam illis impertiatur: Ipſe verò ab omnibus quos aliquando offendi, veniam flagito. Vivat, precor, diu Rex, lætumque ei* *Et pro Rege orat.* *Deus fortunet Imperium: idem pro Reginâ Conjuge, Reginarum optimâ, voveo. Tandem, ſi qui hîc adſunt Romano-Catholici, eorum me precibus enixè commendo.*

P. JOANNES FENWICKUS.

P. Joannes Fenwickus in Comitatu Dunelmenſi natus, utrumque Parentem habuit hæreticum, maturiore ætate ejuratis, quæ neſcius didicerat, Lutheri placitis, ac cum nec lachrimis, nec minis flecti poſset, paternis opibus exutus, pauperis Chriſti ſuſceptâ fide, ad illius exemplum, & ipſe jam pauper ſe totum fingit. Orbum parentibus mitior Parens excipit, fovetque benigniùs Audomarenſe ſuæ gentis Seminarium, Ubi pietate & litteris excultus, Societati JESU

ſe

ſe adſcribit, datisque in tyrocinio nō levibus ſolidę virtutis argumentis, Leodium mittitur, ſeverioribus ſtudiis operam daturus. Hîc eò ſtudioſius nitebatur virtutem doctrinæ adjungere, quò perfectius intelligebat, nec illâ ſine hâc obſtinatos hęreticorū animos frangi, nec hâc ſine illâ corrigi depravatos improborum mores; omnia tunc peragi, cùm juncto hominum animos ſplendore, illuſtrarent. Defunctum ſtudiis, Watenæ primùm, deindè Audomarum, ac noviſſimè excepit Anglia, ubique ea virtutum veſtigia relinquentem, ut etiamnum iis in admiratione ſit, qui familiari quondam illius converſatione ſunt uſi. In Patriâ, totum ſe in animarum lucrum impendit, tulitque laborum fructus, ſi non animi magnitudini pares, majores certè, quàm pro temporis ac vitæ brevitate expectari poterant. Coluerat jam quartum annum vineam ſibi commiſſam, cùm confictæ in Regem conjurationis, Vir innocentiſsimus accuſatur, captusque aliis paris innocentiæ datur carceris ſocius, eorum brevi futurus in ſupplicio comes. In carcere utique, nobili Confeſſorum palæſtrâ, decebat priùs probari Viri patientiam, quàm in Pugilum theatro triumphare charitatem; priùs, inquam, oneranda vinculis crura, quàm collum laqueo innectendum. Certè eouſque ferreæ catenæ exederant crura, ut deliberatum fuerit, eſſentne, nè reliquum corpus contagione inficerent, penitùs reſecanda. Sed impendens brevi mors litem diremit. Mortis ſententiam quantâ alacritate ſuſceperit, oſtendit totius oris ſerenitas. Parem animi cōſtantiam attulit ad ſupplicii locum, ubi poſt fuſas pro Rege preces, aſſertamque innocentiam, & veniam hoſtibus impertitam, piiſſimè obiit, vigeſimo Junii Anno Domini 1679. Ætatis quinquageſimo-primo, Religionis vigeſimo-tertio, Profeſſionis quatuor Votorum quarto. Suprema ejus verba hìc ſubnectam.

Suſpenſi, ut opinor, expectatione hæretis, Cives optimi, ut de crimine, cujus condemnor, paucis vos alloquar, vel reum me faciendo, vel aſſerendo innocentem. Profiteor itaque coram Deo, ac Orbe univerſo, objecti mihi criminis, de machinatâ Regis nece, de regiminis ſubvertendi conſilio, atque externorum copiis intro- *P. Fenwicki ultima ad populum verba.*

ducendis, æquè eſſe me innocentem, atque infantem nondum natum, nec de eo aliud reſciſſe, quàm quod ab Oate, à quo ut ab origine profluxit, ejuſque fœderatis didicerim. Quantùm verò id attinet, quod Romano-Catholicis affingitur, & vulgò creditur, nullam eis fidem habendam eſſe; quod mentiendi, pejerandi, Reges etiam trucidandi, ac ſcelera maximè enormia patrandi, indulgeri iis facultas poſſit, talibus ego indulgentiis, & diſpenſationibus penitùs abrenuncio, ſimulque fidem facio, iniquiſſimam hanc eſſe calumniam, ac invidioſè affixam Catholicis, qui execranda id genus facinora toto corde oderunt, ac ſummè deteſtantur. Atque poſtremis jam nunc morituri hominis verbis, & per ſpem, quâ teneor, à Deo, coram quo mox ſiſtendus ſim, miſericordiæ obtinendæ, rurſus denuncio, quæ modò dixi, eſſe veriſſima; ſperoque, quæ veſtra eſt in Chriſto charitas, non exiſtimaturos vos, id me commiſſurum, ut ſupremo vitæ actu, æternam animæ ſalutem, eam proſtitutum, deteſtabili mendacio ultimum obſignando ſpiritum.

P. JOANNES GAVANUS.

Ejus Natales. P. Joannes Gavanus Londini in Angliâ natus, à Parentibus Audomarum miſſus, ob animi ſui candorem, vitæque innocentiam, Angeli nomine ab omnibus compellatus eſt. Ex ludo hoc litterario ad virtutis ſcholam, Societatis tyrocinium, & indè Leodium miſſus, partim iſtic, partim Romæ altiora ſtudia abſolvit. Poſt quæ in Angliam profectus, quà animarum zelo, quà dicendi facundiâ opimam meſſem fecit. Wolverhamptoniæ præſertim, quæ eſt Staffordienſis Provinciæ Oppidum, tam Catholicis frequens, ut illi à vicinis Hæreticis *Parvæ Romæ* nomen ſit inditum. Fluebat jam octavus annus, quo cum rarâ in concionando facundiâ humilitatem, cum eximiâ hæreſeos impugnandi vi, parem modeſtiam conjungens, fructus fecit labori non impares, plurimis in Eccleſiæ Catholicæ gremium receptis. Cùm ecce communi procellâ involvitur, de Conjuratione in Regem factâ poſtulatus. Gravius hoc illi accidit,

Digitized by Google

quod ab amico delatus, & ſuâ ſorte, & illius delicto indolere debuerit. Per caſus varios, ut antea retulimus, Londinum eluctatus, captus deindè, atque in carcerem conjectus eſt. Dum cauſam capitis peroraturus, pro Tribunali ſiſteretur, ſuam, ſociorumque innocentiam præclarè ſuſtinuit; iniquum certè criminatorem Dugdallum, ita intrepidâ animi conſtantiâ, & verborum quaſi fulmine perculit, ut mutus obſtupuerit, uſque dum à Iudicibus animatus, ſolitam cum perjuriis audaciam reſumeret. Viciſſet utique Gavanus cauſam, niſi jam pridem fixum Judicibus fuiſſet, integram teſtium ſuorum fidem ſuſtinere. Ubi igitur advertit veritatem verbis non extorquendam, factis decernendam ſtatuit; motusque, ut par eſt credere, divino cœlitùs impulſu, & cauſæ ſuæ æquitate fretus, ad ſupremi Iudicis Tribunal audacter provocat, paratum ſe aiens, comprobandæ veritatis causâ, per candentes ferri laminas ingredi. Perculit Curiam inexſpectata provocatio, quam, Oati malè metuens, illicò rejecit, Scroggio dictitante, *Ignei* iſtiuſmodi, ut vocant *Iudicii* formam, in uſu ampliùs non eſſe. Causâ itaque dictâ, profertur mortis ſententia, quam non ſine profuſæ lætitiæ ſignificatione audivit, Chriſto eum intùs animante, quem eo die in ſacrâ Hoſtiâ ad certamen ſe paraturus acceperat. Aderatque jam ſupplicii dies, cùm ecce ornatior ſolito, comptiorque Gavanus prodit, veluti ad Cœleſtis Agni nuptias properaret, quas ſimili cum Sociis morte feliciter ingreſſus eſt, eodem vigeſimo Iunii die, Anno Domini 1679. Ætatis trigeſimo-nono, Religionis decimo-nono, Profeſsionis quatuor Votorum primo. Ante obitum copioſam & eloquentem orationem ad circumfuſam multitudinem habuit, quam ejus verbis dabimus.

Chariſſimi Cives, inſtat mihi poſtrema mortalis vitæ ſcena, mortiſque hora: hora quam temporis & æternitatis horizontem meritò dixero: hora, quæ me ut ſtellam perpetuâ claritate radicantem cœlis inſeret, vel ut titionem æterno inter damnatos rogo arſurum addicet: hora, quâ ſi candidè egero, & ſcelera mea vero cordis dolore agnovero, *P. Gavani ad plebem allocutio.*

Divinam ſperem miſericordiam; ſin verò illa falsò negavero, non niſi æternam animæ ruinam expectem: adeóque ſpero, quæ tremendâ hac horâ dicturus ſum, iis fidem omninò adhibendam: Jamque hac horâ per omne quod cœlo terrâque ſacrum eſt juro, ac voveo, ut me divino conſpectui in cœleſti gloriâ ſiſtendum ſpero, non minùs quàm infantem utero materno clauſum, omnium me ſcelerum purum eſſe, quorum Oates & Dugdallus, me pro Tribunali accuſarunt; & ob quæ lata eſt in me poſtridie mortis ſententia. Vtque fidem dictis certiorem faciam, ſanctè profiteor me in iis nullâ uti æquivocatione, reſervatione mentali, locutione materiali, ut fucum veritati inducam. Nullâ præterea utor ad tegendam veritatem, ſummi Pontificis, aut alterius cujuſcunque diſpenſatione, ullove ſecreti tenendi ſacramento, aut Confeſſarii abſolutione, ſed juxta apertam verbis ſubjectam notionem, animi mei ſenſa eloquor, & ſi quibus involucris veritatem inducã, Deum ex intimo corde rogo, ut me ſuâ gloriâ excluſum, ultimo inferorum rogo addicat: ſed de hoc argumento hæc hactenùs dicta ſint.

Nuncque, Chariſſimi Cives, palam ſecundo loco agnoſco me eſſe Romano-Catholicum Sacerdotem, & quidem ex Sacerdotum Ordine, qui Jeſuitæ nuncupantur. Et quia falsò nobis imputatur, quæ Regicidium admittit opinio, credo mihi ex officio incumbere, ut ſanctè negem, vel me ſpeciatim, vel Jeſuitas univerſim omnes, eam opinionem tenere, ſed contra, ſummè ab eâ abhorrere. Ubi de hoc argumento, quod rem præſentem non tangit, fusè diſcurrit.

Tertio, inquit, *loco, Chariſſimi Cives, ut nunquam conſtitui Regem vitâ aut Regno exuere, ita nunc morti proximus, Deum ex animo precor, ut quieto feliciq́ue regno ipſum in terris, & æternæ gloriæ coronâ in cœlis beet. Ad Judices, & Duodecimviros quod attinet, cunctosque qui vel me accuſandi, vel condemnandi anſam dederunt, à Deo ſuppliciter peto, ut eos temporali, æternâque felicitate cumulet.* Tunc Oati & Dugdallo benè precatus, quod reliquum habuit vitæ tempus, piis mentis aſpirationibus conſumpſit.

Digitized by Google

P. ANTONIUS TURNERUS.

P. Antonius Turnerus in Provinciâ Leiceſtrenſi natus, Patrem habuit Pſeudo-Evangelii Preconem, Matrem etiam iiſdem tenebris involutam, quam Eccleſiæ poſtea reconciliavit Alfordus noſter, duriſſima ideò à Marito paſſam, rarâ ad mortem uſque tolerantiâ. Matris fidem, ejuratâ Patris perfidiâ, Antonius amplexus erat, maturâ ætate vir, & in Academiâ Cantabrigienſi Baccalaurei titulo inſignis, quia autem incertâ tantùm methodo, ut moris apud eos eſt, confusè multa didicerat, placuit Philoſophiam Romæ in Pontificio Gentis ſuæ Collegio, de novo exordiri. Emenſo, triennii ſpatio, Philoſophiæ curſu, impetratâ Societate, Wattenas ad Tyrocinium mittitur. Jam pridem ſingulari pietate, & virgineâ quâdam vultus modeſtiâ adeò conſpicuus, ut Novitius Societatis paſſim à condiſcipulis appellaretur. Poſt Novitiatum, & Theologiæ curſum Leodii abſolutum, in Angliam remiſſus, ſeduli ac indefeſſi operarii partes omnes implevit, annis circiter octodecim, quo tempore eam laudem obtinuit, ut inter præcipuos Provinciæ noſtræ Concionatores haberetur. Rarâ in fidei controverſiis peritiâ, acerrimum, ſi quis alius, hæreſeos hoſtem ſe profeſſus eſt; cujus fraudes eò exploratiores habuit, quò diutiùs ipſe iiſdem fuiſſet implicitus. Agebat ſuâ in ſtatione, Vigorniæ, ſolitis pietatis occupationibus diſtentus, ubi primus de novâ in Catholicos ortâ tempeſtate rumor increbuit. Cùm primùm intellexiſſet Jeſuitas præcipuè ad necem quæri, tum verò exardeſcere Viri virtus, geſtire animo, invidere Sociorum ſorti, ſibi ſimilem votis omnibus poſtulare. Quid multa? Londinum advolat, ultrò ſe Apparitoribus ſiſtit, & diviniori, neſcio quo impulſus æſtu, Sacerdotem ſe, & quidem Jeſuitam dicit. Et ecce quem iniqui delatores, nequidem ſibi de facie notum pronunciârant, eum haud ita multò poſt, effronti audaciâ, perduellionis poſtularunt; cauſam, eâdem cum Sociis fortunâ egit, ac ferali tandem ſententiâ ſupplicio,

Ipſius natales & converſio

Studia & tyrocinium.

Ejus patiendi ardor.

addictus, mortem fortiter oppetiit. Finem vivendi fecit vigeſimo Junii, Anno Domini 1679. Ætatis quinquageſimo-primo, Religioſæ Vitæ vigeſimo-ſecundo, Profeſſionis quatuor Votorum undecimo. Forti piâque oratione populum allocutus.

Poſtrema ejus verba.]

Cùm jam vitæ metàm attigerim, citerque violentâ morte ad Tribunal Dei, cogitationum, verborum, & actionum coram juſto Judice rationem redditurus, credo me conſcientiâ obſtrictum, ut ex debitâ mihi juſtitiâ juratus pronuntiem, me, cujus accerſor, læſæ Majeſtatis crimine non teneri. Illud deindè Chriſtianæ Charitatis officium mihi cenſeo incumbere, ut publicè mundo declarẽ, quidquid mihi à primo Conjurationis rumore innotuit, de iis, quibuſcum egi Catholicis; intimo corde exoptans ut ad majorem Dei gloriam, ad Regis emolumentum, Regniq́ue pacem, eruatur aliquando veritas & innocentia vindicetur.

Seipſum à calumnia vindicat.

Ad me quod attinet, Deum teſtem invoco, me nulli totâ vitâ conſultationi, aut cœtui Jeſuitarũ interfuiſſe, in quo vel à me, vel eorum quocunque ad celanda impia in Regẽ cõſilia, ſervandi ſecreti juramentum præſtitũ, aut ſacramentum tanquam ſecreti vinculum adminiſtratum ſit; neque alicui unquam cœtui adſui, in quo de invadenda Regis vita, propoſitum aliquid, ſtatutum, ſignatumvè fuerit. Porrò tantam impietatem uſque adeò abhorreo, ut ſi tali congreſsui interfuiſſem, tum legis Dei tum fidei meæ vinculis obſtrictum me cenſerem, ad eandem civili Magiſtratui detegendam, quod opitulante Dei gratiâ etiam præſtitiſſem, ut ejuſdem affines debito plecterentur ſupplicio. Tantùm abfuit, ut Septembre elapſo interfuerim Congregationi à Jeſuitis celebratæ Tixhallæ in Cubiculo D. Everii, ut ne ſemel quidem toto illo anno (prout Deum teſtem invoco) Tixhallam diverterim. Agnoſco equidem adfuiſſe me Congregationi Jeſuitarum habitæ vigeſimo-quarto Aprilis anni proximè elapſi; verùm in illo cœtu, ut ſub æternæ ſalutis diſcrimine pronuntio ſi mentiar, nullatenùs egimus de rebus quas vocant Status, ſed unicè de negotiis Provinciæ Anglicanæ, de recepto Societatis more, quo Provinciæ ſingulæ tertio quoque anno cœtus ſimiles ſine Principum, quibus ſubjacent, offensa, cogere ſolent. Æquè ſum immunis, Concives mei dilectiſſimi, perduellionis mihi imputatæ, atque infam-

Digitized by Google

nondum in lucem editus, quâ innocentiâ fretus nunquam proditionem mihi objectam ſacrâ Confeſſione expiandam, aut veniam à Deo rogandam putavi. Equidem ſi iſtius criminis fuiſſem conſcius, non ita ſponte meâ, ſecretiori Regis Conſilio me ſtitiſſem. Ad Catholicos quod ſpectat, quibuſcum à vulgatâ compoſitæ Conjurationis famâ egi, proteſtor coram Deo jamjam moriturus, me à nemine, ſive è Clero, ſive ex aliis Ordinibus, ullam Conjurationis, quam ad Regem tollendum, fidemque propagandam feciſſe ſupponuntur Catholici, notitiam accepiſse. Morior Romano-Catholicus, & humillimè Catholicorum preces imploro, ut Deus felicem beatæ æternitatis mihi aditum aperiat. Triginta jam ſunt anni ex quo fidem Catholicam amplexus ſum, & jam morti proximus infinitas Deo reddo grates, quod ſuâ gratiâ, pravæ educationis ſemotis præjudiciis, ad veritatis agnitionem me adduxerit. Divina Bonitas copioſâ Regem & Regiam Familiam benedictione impertiatur, & illi per fortunatum in terris regimen, æternam in cœlis gloriæ coronam præparet. Deus pro infinitâ ſuâ miſericordiâ ignoſcat omnibus qui me falſi criminis poſtularunt, aut quovis modo mihi mortem procurarunt; ita ignoſco illis ex animo, quam à Divinâ Bonitate condonanda mihi mea ſcelera confido. Tum in preces effuſus, quod reliquum habuit temporis eximiâ pietate tranſegit.

Deinde Catholicos.

Hactenùs Patres vitâ ſanctè tranſactâ, morte feliciter obitâ, verbiſque graviſsimis calumniam à ſe amoliti ſunt. Iis certè auditis obſtupeſcere cuncti, & tacitè componere Teſtium Regiorum fidem cum poſtremis Reorum verbis, eâ vocis firmitate, & imperterriti pectoris conſtantiâ prolatis. Tum perpendere Oatem ſociosque ſua oracula carò vendidiſſe, atque ex ultimâ emerſos paupertate, nunc florere divitiis, quæ validiſsimum haberi ſolent falſa jurandi incitamentum. Patres contra illibatæ ante famæ, multiſque ad fatenda crimina, ſi eſſent eorum conſcii, illecebris provocatos mori maluiſſe quàm ſe reos agnoſcere; quod illuſtre haud dubiè eſt eorum innocentiæ teſtimonium. Quorſum enim vitæ, quam hîc beatam ducere poſſent, tam prodigi, cùm præſertim vera

crimina negando, in certam, eamque æternam perniciem ruerent. Hæc, plerique tam apertè ſpargere, ut vacillare jam conjurationis fides cœperit, ac ruinam minari: Hinc Factioſi, ac præſertim Tongius Doctor, ad ſolitas calumnias confugere, libellos famoſos edere, ac palam dictitare, Jeſuitis, nequidem juratis credendum. Ponderis aliquid apud ignaram plebem habuerunt hæc malè materiata commenta; apud ſapientiores fidem non fecerunt: ſtatimque patuit, aliis cunctos oculis Oatem, sociosque aſpicere, ipſorum dicta ad trutinam revocare, neque ex tripode illos loqui; ſed ambigua plerumque, ſæpiſsimè falſa oracula fundere.

Res mirè mutatas claro documento probat Iudex ipſe Scroggius, qui in dubium vocare cœpit, quæ pro veriſsimis antea habuit, ac præcipuè angi ſe dictitabat de morte Langhornii, quem innocentem ſæpiùs pronuntiavit. Quinimò plurimi deindè in judicium vocati liberiùs cauſam dixêre, atque objectorum criminum immunes judicati. Horum in numero fuit Comes Caſtellomainius, qui licet à duobus teſtibus Oate & Dangerfeldo impeti ſe ſciret, ut in judicium deſcenderet intrepidè poſtulavit. Advocato Regio, periculi, quod ſubibat, probè gnaro, ac propterea ferè renitente. Sed evicit tandem, ſibi ut liceret, cauſam dicere; ſuâque innocentiâ clarè probatâ triumphavit; non obſcurâ Scroggii, Dangerfeldum miro modo laceſſentis benignitate.

Sed, quantam rerum mutationem hæc portenderint, ex Wakemanni Equitis, & trium Ordinis Sancti Benedicti illuſtrium Virorum declaratâ innocentiâ, abundè probatum eſt. Ille enimverò de acceptatâ grandis æris oblatione, ut Regi venenum porrigeret, hi de conjurationis conſcientia poſtulati, causâ coram Scroggio dictâ, omni crimine abſoluti ſunt. Hinc res Catholicorum in meliùs fluere, & concidere teſtium authoritas, qui propterea graviter in Iudicem invehi non deſtitêre.

Pater

P. Philippus Evanus, & P. Carolus Bakerus, Sacerdotium Romanâ Authoritate ſuſceptum, capite luerunt.

QUos hactenùs ſupplicio affectos exhibuimus, eos infami calumniâ, Oatiana damnavit impietas; duplici, ut credimus, titulo cœlis inferendos, quod tum famam, tum vitam Chriſto conſecrârint. Nunc eos in Scenam producimus, quibus mortis cauſa *Pietas* fuit, ſuſceptumque Romani Pontificis authoritate *Sacerdotium*. Hos etiam leges Patriæ inter Proditores numerant, ac conſueto Perduellium ſupplicio afficiunt: miro ſanè conſilio, cùm ſupremi Anglicanæ Eccleſiæ Præſules, vel ſacris Ordinibus initiati non ſint, vel eos, authoritate à Romano Pontifice derivatâ, ſuſceperint. Sed hæc Flori noſtri non interſunt, qui ſacram Sacerdotum dignitatem veneratus, eos feliciſſimè obiiſſe aſſerit, qui ſolo Sacerdotii titulo ceciderunt. In varios quidem mortis prolata ſententia, licet duo tantùm in cauſâ tam glorioſâ occubuerint. P. Philippus Evanus Anglo-Bavarus, & P. Carolus Bakerus, qui, quam ſudore coluit Provinciam, ſanguine poſtmodum irrigavit.

De quibus hactenùs actum calumniâ impetitis.

Duo Sacerdotii rei aguntur.

Digitized by Google

P. PHILIPPUS EVANUS.

P. Philip. Evani juventus.

P. Philippus Patriâ Monumetenſis, abſolutis Audomari Scholis inferioribus, Societatem Wattenis amplexus, Leodium indè ad altiora ſtudia deſtinatus eſt. Mirabilis ſemper fuit in P. Philippo morum candor, ac ſine fuco modeſtia. In rebus maximè ſeriis, vultu erat hilari, & exporrecto: in animi relaxatione, religioſam gravitatem ſemper retinuit. Orandi ſtudium, diſciplinam domeſticam, pendentem à Superioris nutu obedientiam, ſemper coluit; idque præ ſe tulit, omnium, quoad licuit, voluntati obſecundandi deſiderium, ut cunctis, præſertim Superioribus, in deliciis eſſet. Hæc virtutis rudimenta.

Labores, & fructus in Anglia.

Studiorum labore feliciter defunctus, atque in Angliam miſſus, latiorem explicandæ virtutis campum nactus eſt. Auſtralem Cambro-Britanniam excolere juſſus, in vicinas Provincias excurrit, latiùs in quæſtum animarum exſpatiandi occaſionem arripiens. Hic rudes inſtruendo, atque heterodoxos in cœleſtis Patriæ viam revocando, fructum fecit minimè pœnitendum. Quartum jam annum, commiſſam ſibi vineam excolebat, labore improbo, ſed eò vehementiùs in eum concitata eſt hoſtium invidia, quò lætior ſurgebat animarum ſeges. Quare, cum nuperâ ſurgente procellâ, conquiruntur ad carcerem Sacerdotes, in grave periculum devenit. Pretium non modicum in ſingula Ieſuitarum capita propoſitum, & in Patris Philippi ſpeciatim quinquaginta librarum ſumma conſtituta. Non deerant amici, qui periculi Patrem admonerent, hortarenturque impendenti procellæ, dum ſuâ ſe mole frangeret, maturâ fugâ, ſubduceret ſe tantiſper. Laudare ipſe plurimùm amicorum in ſe benevolentiam, fugæ autem conſilium non admittere; non enim Chriſti militem decere Imperatoris injuſſu, de ſtatione, quamvis periculoſâ decedere: infamem eſſe mercenarii notam, commiſſum ſibi gregem, lupis devorandum, relinquere: ſe boni Paſtoris exemplo, pro tuendis ovibus, ſanguinem & vitam fundere paratum.

Grandi pretio ad carcerē conquiritur.

Digitized by Google

Adſunt interim à Loghero quodam, Pacis Præfecto, ſubmiſsi Satellites, qui Philippum, ut Sacerdotem & Jeſuitam comprehendant, captumque in vincula conjiciant, niſi illicò fidelitatis juramento libertatem redimat. Abnuit, ut debebat, impium ſacrilegium, pius Chriſti Sacerdos: ideòque carceri commiſſus, tribus ampliùs hebdomadis in ſpecu ſubterraneo gemuit, nemine ad ejus alloquium admiſso, donec tandem in cubiculi ſocium adjunctus ei eſset, ne quidem in ultimo certamine ſeparandus, D. Ioannes Floydus, pius è Clero ſæculari Sacerdos. Laboratum interea eſt in teſtibus contra Patrem conquirendis. Tenuiorum Catholicorum, quà minis, quà pollicitationibus tentata fides, ſed irrito ſemper conatu; dubium, majorine illorum in Patrem fidelitatis, an virtutis illius teſtimonio. Demùm, quà ſpe, quà timore, victa ceſſit vili ex plebe muliercula, ejuſdemque non melior parente filia. His ritè ad criminationem inſtructis, poſt quinque menſium moram in ergaſtulo, ſiſtitur Tribunali Pater, & fœminis teſtibus, à Duodecimviris, Sacerdotii, à Judice reus mortis declaratur. Expetitam mortis ſententiam, inclinato capite, lætoque vultu, & lætiore animo excepit P. Philippus, actis ſuper eâ Iudici amicè gratiis.

Capitur.

Accuſatur Sacerdotii.

Læto animo excipit ſententiam mortis.

Porrò dum inter animi gaudio redundantis indicia, fatalem mortis diem præſtolatur, tamdiu dilata eſt ſententiæ executio, ut veniâ donandus, atque in libertatem aſſerendus videretur. Liberior inde Patri cuſtodia, & carcere quandoque exeundi facta poteſtas, cùm ecce, dum honeſto luſui indulgeret, afferuntur à Cuſtode carceris ferales nuncii, poſtridiè ipſi moriendum eſſe, atque quamprimùm ad carceres revertendum. Cui Pater, *Eſtne feſtinatione opus? ſine obſecro luſum abſolvam:* Quo annuente, hæſit in loco, moxque in carcerem redux, arreptâ chely, quam non imperitè pulſavit, nova dedit lætitiæ ſigna. Mox injecti de more compedes, cùm Pater verè exultare, vincula identidem oſculari, ac ſuam ſibi ſortem lætus gratulari. Sed cum magno numero, ut aliquid ipſi ſolatii impertirentur, Catholici affluerent, ſecedens in conclave ad brevem concionem ſe parat, quâ

Quomodò inſtantis mortis nuncies audierit.

Digitized by Google

deindè Auditores ad ſuperandam, Chriſtiani animi roborè, perſecutionis vim eſt adhortatus. Illuxit tandem Iulii dies vigeſimus-ſecundus, ideò Patri optatiſsimus, quia ejus triumpho cohoneſtandus. Exempti compedes à Fabro ferrario, quos cum repetitis mallei ictibus nequicquam excutere conatur, animatus à Patre eſt, ut in opere pergeret, quod gravi tandem labore abſolvit: Tum revinctis poſt tergum manibus ad patibulum ducitur, quod ſæpiùs exoſculatus, hiſce D. Andreæ verbis ſuaviſsimè ſalutat: *Salve ô bona Crux diu deſiderata.* Tunc ad populum converſus.

Ad ſupplicium ducitur.

Superfluum, inquit, *arbitror, Concives amantiſsimi, pluribus mortis mihi inferendæ cauſam enarrare. Quæ pro tribunali mihi objecta, et pōſtea exindè lata ſententia, abundè, ut reor, evincunt, non alio quàm Sacerdotii, atque adeò Religionis, & conſcientiæ nomine, mihi pœnam mortis irrogari. Fuſiore, vos de cauſæ hujus excellentiâ, ſermone non detinebo, unum tamen omnibus perſuaſum velim, ita mihi eam eſſe in deliciis, ut longè ſceptris omnibus & coronis anteferam. Si cui unquam fides, certè morienti adhibenda eſt, ac proindè, quæ nunc eloquor, neminem in dubium vocaturum confido. Qui ſuis me inimicitiis impetierunt (quas, ut exiſtimo, non promerui) iis ex animo, quæ in me machinati ſunt, remitto omnia, ab iiſque viciſſim, ſi quomodò quemvis læſiſſe cenſear; intimo cordis dolore veniam efflagito. Divina Bonitas fortunet Regem, & univerſam Regiam Familiam. Omnium, præſertim præſentium, Catholicorum preces meis, inſtante jam morte, adjungi exopto.* Sic elocutus, in genua provolvitur, ſuumque Deo certamen ardentibus votis commendat. Conſcenſis deindè mirâ animi alacritate ſcalis, ſic inceptæ orationis filum pertexuit. *Nullus mihi ſuggeſtus, his ſcalis aptior videtur, è quo vir innocens verba faciat. Rurſus ergo cunctis edico, me Dei & Religionis causâ immaturam mortem ſubire, eoque feliciſſimum me reputare; ſi enim decies mille mihi vitæ ſuppeterent, hac in causâ eas omnes promptiſſimo animo immolarem. Si productior mihi vita daretur, non diu ejus, quamvis vix dum juventutem exceſſerim, beneficio fruerer. Felicem ergo mihi ſortem obtigiſſe jure exiſtimavero, quod tantillo pretio*

Eius ad populum allocutio

Rurſus è ſcalis verba facit.

Digitized by Google

vitam hanc caducam cum æternâ commutem. Ignoſco lubens omnibus, qui mortis meæ, quovis modo cauſa exſtiterunt, iterùmque peto veniam ab illis, quos fortè injuriâ affeci. Obſecro Divinam bonitatem, ut in illos qui me quavis charitate, aut benevolentiâ proſecuti ſunt, ſua dona largâ manu refundat. Cùm dicendi finem feciſset, ad delenda intimo cordis dolore totius vitæ peccata converſus, atque in ea demùm morientis Salvatoris verba erumpens: *In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum*; Obiit, ut vixerat, ſanctiſsimè, die vigeſimo-ſecundo Iulii, Anno Domini 1679. Ætatis trigeſimo-quarto, initæ Societatis decimo-quarto. *Morte afficitur.*

Ut carceris, ita & mortis Socium habuit D. Joannem Floydum, Sacerdotii pariter condemnatum, qui ad ſupplicium ductus, iiſdem ferè quibus P. Philippus, populum allocutus, invicto animi robore, collum reſti inſeruit, ac ſcalis dejectus feliciter triumphavit.

P. CAROLUS BAKERUS.

Simili in causâ cecidit P. Carolus Bakerus, vir omnium præconio, ob raras animi dotes efferendus. Ejuratâ, quam in pueritiâ imprudens contraxerat, hæreſi, Romæ ſtudia ſeveriora, & tyrocinium abſolvit. Remiſſus deindè in Patriam, dum ad colendam Chriſti vineam incumberet, piè geſsit multa, plura fortiter pertulit. Sub finem vitæ, graviſsimâ, quaſi quæſtum è Sacrificiis faceret, & piaculares flammas, ad emungendos à pauperculis nummos, occineret, calumniâ affectus, eam ita diluit, ut Iudex, nullam, eâ de re, teſtium habendam eſse rationem, palam profiteretur. Auditâ ob ſuſceptum Sacerdotium mortis ſententiâ, Londinum adducitur, ſed Teſtes Regii omni eum conjurationis labe abſolverunt, quo tempore Shaftesburius qui Concilio Secretiori præſidebat, his Patrem verbis compellavit: *Si ſalvus*, inquit, *eſſe velis, è duobus alterum elige; vel fidei Catholicæ nuncium remitte, vel prode initæ conjurationis arcana.* Impium conſilium indignabundus rejecit; jamque morti devotus Cardiffiam

Vir raræ virtutis.

Calumniis impetitur.

Abſolvitur ſuſpicione factæ cōjurationis.

Digitized by Google

reducitur, ubi menſibus tribus liberâ uſus eſt cuſtodiâ, donec urgente Shaftesburio, ac Vice-Comitis moras mulctante, decimo-ſexto Auguſti die, Anno Domini milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo-nono, vitam felici morte ſanctiſsimè concluſit. Ætatis anno ſexageſimo-tertio, Profeſſionis quatuor Votorum vigeſimo-tertio. Cauſam ſuæ mortis dum ſub furcâ conſiſteret, gravibus verbis extulit. Illuſtriori in hoc Libello prædicandus elogio, ſi in Collegium Anglo-Bavaricum unquam aſcitus, Sereniſsimi Ducis Clientibus annumerari poſſet.

Plectitur.

Digitized by Google

Qui Carcerum pædore, aliiſq; miſeriis enecti fuerint.

P. EDUARDUS MICO.

NOBILIBUS & Catholicis ortus parentibus P. Eduardus, unà cum lacte materno pietatem hauſerat. Miſſus Audomarum à teneris annis, inſigne exemplum probitatis Condiſcipulis præbuit. Innatus lepor & morum candor eximius, ita omnium in ſe oculos animoſque convertit, ut ſinguli in eo tum quod amarent, tum quod imitarentur, invenerint. Crevêre cum annis virtutes; dumque in Italiam ad altiora ſtudia audienda proficiſceretur, ſub Romano Sole maturuit illa animi præclara indoles. Orationis frequentiâ Deo ſe conjunctiſsimum reddidit: Deiparam verò ab infantiâ ſingulari proſequebatur affectu, cujus cultum & amorem in aliorum mentibus, omni quâ pollebat induſtriâ, promovere nitebatur. Adeò vel minimas evitabat diſſenſionum occaſiones, ut quoties inter diverſa ſentientes oriretur quæſtio, cedere ſemper maluerit quàm vincere: ſi autem, ut fit, provocaretur aliquando ut ſponſione factâ certaret, nolle ſe aiebat, ut adverſarii amiſſo pignore excandeſcentes, duplex indè detrimentum paterentur. In Societatem

Morum innocentiâ conſpicuus.

Orationi perquam addictus.

necdum cooptatus, ita erat Regularum tenax, ut jam tum Societatis Novitius à ſodalibus paſſim ſalutaretur. Poſt biennium Philoſophiæ inſumptum Romæ, à Præpoſito Generali in Societatem admiſſus, migravit in Flandriam ad Wattenenſem Anglicanæ Provinciæ Novitiatum; indè Leodium ad cœpta Romæ ſtudia abſolvenda; quibus feliciter peractis, poſtquam Audomari humaniores litteras aliquandiu docuiſſet, tranſmiſit in Angliam; ubi in vigiliis & laboribus aſſiduus, omnes induſtrii operarii partes fideliter explevit. Tandem à Provincialibus, quibus penitùs perſpecta erat ipſius virtus ac prudentia, in laborum conſortium adſcitus, poſt octennium in eo munere expletum, unà cum P. Thomâ Harcotto Provinciali ab infami Apoſtatâ Oate comprehenſus (dum uterque ex graviſſimâ febri decumberet) duro carceri mancipatus, ærumnis & morbi violentiâ extinctus eſt, die tertio Decembris Anno 1679. Ætatis quadrageſimo-octavo, Religioſæ Vitæ vigeſimo-ſexto, Profeſſionis quatuor Votorum duodecimo, ſuo judicio infelix eo nomine, quod neci ſibi in odium Fidei deſtinatæ, præmaturâ morte ſurriperetur.

Anglicanā vineam excolit.

In carcere ærumnis cōficitur.

P. THOMAS MOMFORDUS.

In Provinciâ Norfolcienſi natus P. Thomas Momfordus, nobiles Natales moribus genere non indignis illuſtravit. Humaniores litteras Audomari, Valliſoleti Philoſophiam ex parte, quod ſupererat (peracto Wattenis Novitiatu) Leodii, Muſſiponti denique Theologiam abſolvit: perſpicacis ingenii Vir, nec minùs doctrinâ & ſoliditate judicii, quàm pietate ſpectabilis. Latere tamen & neſciri voluit verus mundi, ſuique contemptor. Officia quæque abjectiora, moleſtiis ac periculis magis expoſita, eo ipſi fuêre gratiora. Urgebat quoties in proximum charitas, nihil non duri & ardui libenter ſuſcipiebat, omnibus omnia factus, ut omnes Chriſto lucrifaceret. Pacem cum aliis inviolatam ſervavit: ſibi ſoli continuum indixerat bellum, præliaturus bella Domini, cujus ſingularem benevolentiam diuturno ſui

Sui contemptor egregius.

mortificandi

Digitized by Google

mortificandi ſtudio, frequenti rerum cæleſtium meditatione; jugique obſequio ſibi conciliaverat. Poſt varios demùm in An liâ labores exantlatos, & belli navalis diſcrimina, quæ zelo animarum permotus, animo vultuque læto ſubierat, fictitiæ conjurationis & ipſe cum aliis ab Oate accuſatus eſt. *Conjurationis falsò poſtulatur.* Sum̄a criminationis petebatur ex fictitijs quibuſdam litteris, quas variorum è ſocietate ſubſignatas nominibus, ac Momfordo inſcriptas, Curſori tradiderant Tongius & Oates, ut manu in eas injectâ, fabulæ ſuæ fidem conciliarent. Sed Momfordi innocentia, tum Regis, cui litteras tradiderat, teſtimonio comprobata, tum ab ipſis adverſarijs aſſerta luce clarius illuxit. Quamvis enim Oates aliique impoſtores palam aſſererent, Momfordum ideo litteras Regi tradidiſſe, ut Conjurationis, jam tum detectæ, fidem elevaret, efficere tamen non potuere, ut illi diu ea calumnia adhæreſceret. *In carcerem amandatur, ibiq; moritur.* Junior quippe Tongius impoſturæ conſcius, technam juratus detexit, dictas nimium litteras, à Patre ſuo & Oate fuiſſe confictas, ac Momfordo deſtinatas. Fidem deinde teſtimonio fecit exhibito Patris ſui chirographo, quo unæ ſaltem e dictis litteris exaratæ fuere, collatiſque apicibus omnibus, clarè oſtendit, ex eâdem eas quâ cæteræ technæ, officinâ prodiiſſe. Momfordus itaque tum conſcientiæ integræ, tum ipſius Regis, teſtimonio fiſus, ſe ultro ſenatui obtulit, à quo in carcerem conjectus, exiguo poſt tempore contabuit, ac vivere deſiit, die ſcilicet vigeſimo-primo Decembris 1678. Ætatis ſexageſimo-primo, initæ Societatis trigeſimo-nono, Profeſſionis quatuor Votorum vigeſimo-ſecundo.

P. IGNATIUS PRICIUS.

Ignatius natione Cambro-Britannus, Anglo-Bavarici antehac Collegii Alumnus; Vir zeli verè Apoſtolici, omnes fere totius Angliæ Provincias ſummo labore, nec ſine maxi-

Digitized by Google

mo animarum lucro peragraverat; innumeras devoraverat moleſtias, varias & graviſſimas ab hæreticis perpeſſus fuerat tempeſtates, ſpatio triginta-quatuor annorum, quos procurandæ aliorum ſaluti totos impenderat. Ingraveſcente tandem Oatianâ perſecutione, de pago in pagum aſperrimâ hyeme per medias nives fugere coactus eſt, in ſummâ rerum penuriâ annoſus & infirmus ſenex, donec tandem Deo miſerante, quam diu in terris fruſtra quæſierat, quietem, in cœlis, uti ſperamus, invenit, Die decimo-ſexto Januarij, Anno 1679. Religionis quadrageſimo-quinto, ab accepto gradu Spiritualis Coadjutoris trigeſimo-ſecundo.

Ab hæreticis multa patitur.

P. FRANCISCUS NEVILLUS.

Vix in Novitiatum receptus fuerat P. Franciſcus Nevillus, cùm ſibi id unum propoſuit, nihil à ſe dignum Deo fieri poſſe, niſi fieret quàm optimè. Innatâ morum ſuavitate, omnes in ſui rapiebat amorem ac venerationem: Ipſe interim ſibi durus & infenſus, ſecum non aliter, quàm cum hoſte verſabatur. Ingenio pollebat ſingulari, nec minori induſtriâ. Ea autem cura illi fuit religioſæ obſervantiæ, ut ne latum quidem unguem à præſcripto regularum, ullius intuitu, recederet: Memor ſcilicet verborũ Domini, *Quia in pauca fuiſti fidelis;* enitebatur etiam in minimis, ſervum ſe bonum & fidelem exhibere Deo, quem fide vivâ præſentem ſemper intuebatur, ſibi dictum reputans non minùs quàm Abrahæ: *Ambula coram me & eſto perfectus.* Ut natura, ita gratia in pleriſque mortalium fluxum ſuum habet & refluxum, adeò ut perpauci reperiantur, quorum virtus æquabili fulgore micans, nulla unquam ſui patiatur diſpendia. Notârunt tamen inſpectores oculati, Franciſcum, ex quo prima vitæ ſpiritualis fundamenta in tyrocinio poſuit, ſine ullâ priſtini fervoris imminutione, majorem indies in perfectione feciſſe progreſſum. Animi tenor ei ſemper idem fuit, ac perpetua ſerenitas, quam nec

Morum comitas, & regularum obſervantia.

Cõtinuus in virtute progreſſus.

Digitized by Google

acutiſſimi, quibuſcum diu luctabatur, dolores adimere. Poſt quadraginta-octo annorum in Angliâ labores, ſæviente nuperâ in Catholicos procellâ, in ædibus Viri Nobilis à ſatellitibus comprehenſus eſt, & ab iis (caſu, an induſtriâ, dubiũ) gradibus deturbatus. Sub finem Februarii diem clauſit extremum, Anno Domini milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo-nono, Ætatis octogeſimo-quarto, Profeſſionis quatuor Votorum quadrageſimo-ſeptimo, & ex quo vineam Anglicanam colere cæpit quadrageſimo-octavo.

P. THOMAS JENISONUS.

P. Thomas Jeniſonus, nobili, in Comitatu Dunelmenſi, familiâ oriundus, in hæreſi licet educatus, non levia etiam tum futuræ pietatis indicia dedit, cùm adhuc puer ſtudioſè biblia lectitaret, templa crebrò adiret, eâque totius corporis compoſitione hæreticorum ritibus adeſſet, quæ vel modeſtiſſimum Catholicum deceret. Noluit autem Deus diu ſinere in hæreſi verſari juvenem, quem ad majora dudum deſtinaverat. Receptus itaque in gremium Eccleſiæ, Audomarum ſe contulit; ubi litteris ſolidam pietatem adjungens, eo morum candore eluxit facile ut impetrârit Societatem JESU, quem pauperem pauper deliciis ſæculi, & peramplì patrimonii commodis longè antetulit. Parentes precibus, lachrymis, pollicitationibusque adhibitis, nullum non movebant lapidem, ut à pio Juvenem propoſito revocarent: at ille mundo mortuus, vanis carnis & ſanguinis incantamentis planè obſurdeſcebat. Studiorum curſu Leodii feliciter evoluto, vix quartum in Angliâ laborum Apoſtolicorum annum attigerat, cùm Oate accuſante, in cuſtodiam datus eſt, ærumnis, & ſqualore loci conficiendus. Ad maiorum autem cumulum acceſſit aliquorum ſanguine ſibi conjunctiſſimorum à fide turpis defectio, Deo nempe id permittente, ut

Hæreſim adjurat.

Societatem reluctantibus parẽtibus amplectitur.

Digitized by Google

dum crucem ſuam portaret cum JESU, ſimilem etiam ſuorum derelictionem pateretur. Variis tandem ærumnis poſt ſeſquiannum in carcere conſumptus, invictam Deo animam ibidem reddidit vigeſimo-ſeptimo Septembris, Anno milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo-nono, Ætatis trigeſimo-ſexto, Societatis decimo-ſexto, ad nullum in eâ gradum aſſumptus.

Incarceratus piè moritur.

P. RICHARDUS LACÆUS.

P. Richardus Lacæus Oxonii in Angliâ natus Catholicis & honeſtis parentibus, ab iiſdem poſt ſufficientem humaniorum litterarum eruditionem Romam mittitur, ad altiora ſtudia addiſcenda. Undè poſt menſes aliquot, petitâ votis omnibus Societate, VVattenas remiſſus, voti compos, efficitur: exacto ibi biennio, cœpta Romæ ſtudia, fructu non pœnitendo Leodii abſolvit. Richardi humilitatem vel ex eo diſcas, quod cùm præſtantis ingenii, eximiique in litteris profectûs præclara dediſſet argumenta, in numerum Coadjutorum temporalium referri, & abjectioribus officiis in perpetuum addici, quò ſecuriùs lateret, ardentiſſimis precibus non ſemel flagitârit. Cùmque hujus voti minimè compos fieret, viliora ſaltem munia ultrò obeundo, ſuamque omnibus operam alacriter exhibendo, conatus eſt pio ſuo deſiderio facere ex parte ſatis. Optata Angliæ littora vix dum attigerat, cùm gravi ſubortâ perſecutione à Superioribus in Flandriam revocatus eſt. Nec multò poſt impetratâ redeundi facultate, ut lucrandis Chriſto animabus totus incumberet, in portu captus, Londinum mittitur, & in vincula conjicitur. Ibi omni hominum alloquio, ipſoque lucis beneficio, totis quinque menſibus privatus, in morbum lethalem incidit; cuius vi, ut gravi febri laborantibus perſæpe accidit, mente motus, cùm ut potionem ſalutarem acciperet, nullo modo induci poſſet, juſſit qui aderat Medicus, ut in gratiam Regis totam

Ejus ſpectanda humilitas.

Mirus in Regem amor.

Digitized by Google

exhauriret. Nec mora; æger, etſi ſui impos, audito Regis nomine, epoto ſtatim pharmaco obtemperavit. Medicus rei novitate attonitus, Fieri, inquit, non poteſt, ut hujuſmodi homines ſobrii & ſani in Regis perniciem conſpirent, qui inter ipſa ægræ mentis deliria, ob ipſius amorem, naturæ ſummè ingrata, tam avidè amplectuntur. In iiſdem vinculis paulatim tabeſcens, felicem animam efflavit undecimo Martii, Anno 1680. Ætatis trigeſimo-ſecundo, initæ Societatis duodecimo, ad nullum adhuc in Societate gradum promotus.

Carceri cõmiſſus diem obiit

P. FRANCISCUS SIMONIS.

Prodiit etiam ex Collegio Anglo-Bavarico P. Franciſcus Simonis, Vir, eximiæ pietatis, zeli planè Apoſtolici, & vitæ primi Eccleſiæ ſœculi digniſſimæ. Hic ſtudia Mediolani inchoata, Leodii cùm abſolviſſet, juvandis inſtruendiſque in Siciliâ ſuæ Gentis Mercatoribus triennium impendit. Indè in Angliam revocatus, dilatandæ Chriſti Eccleſiæ, & errantibus in viam ſalutis reducendis, viginti annorum labores alacriter conſecravit. Ab infami tandem Sycophantâ in crimen perduellionis vocatum, Conſiliarii Regii proſcripſère, propoſito ducentarum librarum præmio, ſi quis eum Tribunali ſiſteret. Exploratoribus itaque in omnem Regni partem excurrentibus, cùm nullo loco diu poſſet conſiſtere, innùmeris fugæ propè quotidianæ incommodis, & aëris inclementiâ fractus, fatis conceſſit Junii vigeſimo-ſexto, Anno 1680. Ætatis ſexageſimo, Societatis trigeſimo-nono, Profeſſionis quatuor Votorum vigeſimo-ſecundo.

Perduellionis acerſitus, & fuga laboribꝰ fractus moritur.

Hi ferè ſunt Bavaræ munificentiæ Alumni, quos præmatura mors furcis ſurripuit, ſi non Martyrii laureolâ, certè Confeſſorum coronis, uti confidimus, in Cœli donandos.

Digitized by Google

Ex falsâ Conjuratione, vera naſcitur, quæ innocentium Catholicorum cauſam perorat.

HActenùs, quo ardore, vel acti præjudiciis Judices, rebus pro tribunali iniquè geſtis, vel inconditis clamoribus furibunda plebs, in ruinam Catholicorum conſpiraverint, fusè proſecuti: reſpiciendum retro, & horum cauſam penitiùs rimandam duximus, ut totius Conjurationis initia, progreſſus, & exitus in lucem producatur. Primus Catholicis bellum Oates indixit, ſed cùm illud neque ſolus gerere, neque tot triumphis cohoneſtare potuerit, acceptis aliundè ſuppetiis rem geſſit: neque à quibus illæ ſubmiſſæ fuerint, diu quærendum.

Inquieta quorundam ingenia, injuriâ præſertim, ut putabant, laceſſita, res novas moliri, & commodius ſibi regimen procurare, dudùm cogitarant. Subeſſe Principi, à cujus nutu omnia penderent, ab eoque, re malè geſtâ, moveri officiis, ac privatis ædibus circumſcribi, cùm rerum publicarum adminiſtrationem ambirent, minimè ferendum his hominibus videbatur. Horum Princeps erat Comes Shafteſburius, cæterum vulgus ex eo hominum genere, quos Presbyterianos dicimus, qui numero & divitiis, reliquis ferè omnibus praſtant. Hi, acceptis de Oatis conjuratione nuntiis, rari

Presbyterianorū Conjurationis exordia.

Digitized by Google

nunquam felicius quàm in aquâ turbidâ piſcari, ut lapſum de cœlo hominem amplecti, quæ Catholicis objecit, magnificè prædicare, quàmque ab illis meritò timendum eſſet, ubique ſpargere. Re ad Senatum deductâ, qui è Presbyterianis fermè componebatur, quàm acriter ad perſequendos Catholicos incubuerint, ex jam dictis abundè liquet: ſed cum rebus benè geſtis inſoleſcere viderentur, ſoluto Senatu, ſpe ſuâ fruſtrati ſunt.

Senatus indicitur.

Menſe Majo, annò 1679 ita urgentibus Regni negotiis, Rex nova Senatûs Comitia indixit. Fœdera cum externis Principibus icta, atque Urbs Tingitana à Mauris periclitans, præſens pecuniæ ſubſidium poſcebant. Cùm ecce Senatores, omiſſâ tantarum rerum deliberatione, ad tentandum Conjurationis fundum ſe denuò accingere, majori, quàm antea, ardore, Catholicis perſequendis intendere, ac præſertim ſolenne decretum renovare, quo ſtatutum antea fuerat, Senatui omninò perſuaſum eſſe, *deteſtandam in Regis vitam factam eſſe à Papiſtis Conjurationem.* Hæc illa erat machina, quâ clandeſtina ſua conſilia promovere conſtituerant Factioſi, qui ſummâ in Senatu authoritate pollebant.

Ejuſdem celebre decretū.

Hinc in Catholicos denuo invehi, ſeveriſſimas in eos leges meditari, atque omnibus Regiæ ſalutis, ut ajebant, curam obtendere. Et verò ſi quæ conceperant, perfeciſſent, omnes primæ notæ perpetuis mulctando exiliis, actum omninò de Catholicis fuiſſet. Illud imprimis celebre decretū, quo ſuam Regi induſtriam commendatam voluêre, ut cùm grave à Catholicis ejus vitæ periculum imminere ſpargerent, unanimi voce ſtatuerint; *Si Rex intempeſtivo fato eriperetur illius ſe mortis pœnas à Papiſtis repetituros.* Dubium, majoremne Regi, an Catholicis terrorem incuſſerit ferale conſilium. Quis enim eo facultatem Factioſis omnibus datam neget, Regem impunè trucidandi, cùm non à ſe, ſed à Papiſtis rationem depoſcendam viderent. Sed hoc benevolentiæ ſuæ, ut crede-

Digitized by Google

Iniquum de Duce Eboracenſi à Corona ſecludendo conſilium.

bant, argumento, inire à Rege gratiam volebant, ſuis ut poſtulatis aurem faciliorem præberet. Gradum deinde ad alia fecêre, & cùm Catholicos quàm maximè timendos exhiberent, Ducem Eboracenſem Regiæ ſucceſſionis ſpe eſſe depellendum ſtatuêre. Catholicum eſſe, & Catholicorum fautorem liberè dictitabant: hos inde maximas ſpes fovere, atque ſub illius umbrâ, pernicioſa bono publico conſilia agitare: ac tandem pecuniam in Urbis Tingitanæ ſubſidium denegare, niſi Rex Senatûs-conſulto de excludendo Duce ſubſcriberet. Sed ille audax poſtulatum omninò rejecit, ac labente tempore facilè perſpexit, quò Factioſorum, qui Senatum ferè regebant, conſilia vergerent. Curia certè inferior haud ita multo poſt, nō levi Regiæ dignitatis dedecore, ſanxivit, nemini ut liceret ex vectigalibus alijſque coronæ reditibus pecuniam anticipatâ ſolutione Regi ſuppeditare; id porro ſi fecerit quiſpiam, hoſtem Senatus cenſendum, ut qui illâ ratione frequentia illius Comitia impediret, & toties reiteratis prorogationibus aut diſſolutionibus cauſam daret. Dum ſibi hoc pacto ſtudent conſulere, Regem ferè infra ſubditorum conditionem deprimere niſi ſunt. Certe cum privato cuique liceat, oppignoratis bonis æs conflare, id Regi ſine injuriâ negari haud potuit. Quapropter hoc alijſque Curiæ decretis exacerbatus, Senatum, quem illi manu tenere nitebantur, Rex illico diſſolvit. Quia tamen is erat Regni ſtatus, ut præſens ſubſidium expoſceret, ſperaretque Rex tam frequenti diſſolutione flectendos tandem Senatorum animos, in annum ſequentem, qui fuit ſæculi octogeſimus, rurſus Senatum VVeſtmonaſterij convocavit. Sed cum plerique, qui præcedentibus comitijs interfuerant, denuo electi eſſent, & hæc parimodo habita, & ſimili exitu terminata ſunt. Nunc bonâ Lectoris veniâ paululum digrediendum. Hæc enim ſunt illa Comitia, quæ ex Nobilibus Catholicis Turri Londinenſi concluſis, Vice-Comitem Staffordiæ ſelegerunt,

Digitized by Google

quem ad cauſam capitis dicendam evocarent. Hic ſi uſquam diſputatum acerrimè, neque ullâ in causâ à Perſecutionis exortu majore induſtriâ deſudatum. Actor erat Senatus inferior, qui cauſam Jurisprudentiæ ac Legum Angliæ peritiſſimis adminiſtrandam commiſerat. In Staffordio, rei videbantur cæteri nobiles Catholici, eodem cum ipſo, ut credebant, fato caſuri. Judicem agebat ſupremus Regni Cancellarius, novâ de more Seneshalli dignitate ad id munus obeundũ inſignitus. Huic aſſidebant Proceres omnes, ut cauſâ cognitâ, quod in inferioribus tribunalibus obeunt duodecim-viri, reum damnarent vel abſolverent. Producta eſt actio in dies complures, ubi Oate, cæterisque Teſtibus Regijs in Staffordium, quicquid poterant, congerentibus, Dugdalli & Turbevillij præcipuè teſtimonijs obrutus eſt. Reum pronuntiarunt pluribus ſuffragijs Senatores: & Poſtridie, capitis in eum ſententiam tulit Seneshallus, communiquè Perduellium, quod Leges aliud non ferrent, ſupplicio addixit. Sed Rex legum rigorem temperavit, permiſitque ut ſecuri feriretur. Ut mortis ſententiam imperterrito vultu audivit, ita, priusquã caput carnifici ſubmitteret, omnes qui ad ſpectaculum accurrerant, ad exhibendam Regi debitam fidem adhortatus, mortem ipſam fortiſſimè ſubijt. Vir erat ductis ex antiquorum Regum ſanguine natalibus, ſingulari in Regem fide, & Catholicæ Religionis aſſerendæ conſtantiâ ſummè cõmendabilis: dignusque longiore in terris vitâ, niſi in Oatiana tempora incidiſſet, quæ paucorum annorum diſpendio, vitam illi æternam in cælis, uti confidimus, compararunt. Defuncto à cognatis, quâ licuit pompâ, parentatum: cujus ſplendori ſi quid defuerit, perenni nominis famâ abunde ſupplebitur. Inuſſam à Teſtibus Regijs Perduellionis maculam, eluit ſuperior Senatus Curia, quæ habitis hoc ipſo anno 1685 Comitijs, *certo innocentem* occubuiſſe, ſolenni decreto declaravit.

Vice-Comes Staffordiæ cauſam dicit.

Condemnatur ac piè moritur.

Vindicatur.

Sed ad Senatum revertamur. Pupugit Factioſos, Comitijs Senatûs iterùm ac tertiò ſolutis, conſilia ſua interrumpi. Quare quod clandeſtinis artibus non perfecerant, jam depoſitâ ex parte larvâ, agere incipiunt. Oxonij Rex indixerat Conventum Senatûs, Londino diffiſus, propter concordem Civium Senatorumque contumaciam. Hi ex mutatione loci, mutandam Comitiorum methodum ſuſpicati, arma expedire, fœdera inire, & quo celebrius eſſet fœderatorum nomen, vittas cæruleas pileis aptare, quibus intertextum erat hoc lemma, *Contra Papiſmum, contra regimen Arbitrarium*. Sic armati, ſic ornati, magnâ Clientum pari modo inſtructorum catervâ ſepti, Oxonium ad bellandum magis, quàm ad deliberandum de Regni negotijs perrexerunt. Et verò citò patuit, quid rerum molirentur gladiati Senatores. Vix enim à Rege, Regni ſtatum placidiſſimè illis exponente digreſſi ſunt, quin ocyus in jura ipſius, Sereniſſimi Fratris, & univerſorum, quos illis fidos eſſe vel ſciebant, vel timebant, violentiſſimè invaſerint. Fitz-Harriſium quendam ſeditioſum, ſeditioſiſque propterea charum caput, coram Judicibus Rex citari juſſerat ad dicendam cauſam: intercedit Senatus Inferior, & ſiſti prohibet. Quoniam verò Senatus Superior Regias partes tueri decreverat, nec cum interceſſione concurrere, excandeſcere Factioſi, & communi calculo decernere violatas eſſe Comitiorum Conſtitutiones, ſuaque in gratiam Papiſtarum violata Privilegia. Contra hos, ſectas omnes, quæ Proteſtantium gaudent nomine, ſociandas eſſe, & Jacobum Ducem Eboracenſem, omnemque alium Papiſticum Succeſſorem, jure ſucceſſionis in Angliæ & Hiberniæ Regna exauctorandos. Hæc illi tuuc Oxonij, grandiora indies auſuri, niſi Rex illis inconſultis, ac nihil tale ſuſpicantibus, poſt octiduum ſeſſionis, ſeditioſa conſilia iteratâ diſſolutione diſſipaſſet. Ociùs Rex magnis itineribus, Londinum evolat; illi autem ſyderatorum inſtar hærere, atque ambigere quid conſilij tan-

Senatus cogitur Oxonij.

Ejuſdem factioſa propoſita

Digitized by Google

dem caperent. Shafteſburio illud viſum maximè opportunum, ut pauca ſed primaria capita, ſe quamprimum ad tollendum è medio Regem & Ducem Eboracenſem accingerent. Sed priusquam tantum facinus aggrederetur, deliberandum primo cenſuit, de novâ regiminis formâ, ac modo ſeditionis toto Regno excitandæ. Partibus ſuis aſciverat complures, vel Regi privatim infenſos, vel graviori Fidei Catholicæ odio flagrantes. Hos inter Principes erant, Comes Eſſexius, Gulielmus Baro Ruſſelius, qui primus in Senatu de amovendo Duce Eboracenſi quæſtionem moverat, Hovvardus Baro Eſcrickius, Fordus Baro Graius, Algelnonius Syndæus, & Thomas Armeſtrongus Eques Auratus, qui Ducem Monumetenſem, majoris animi quam conſilij virum, ſpe regni faſcinârant. Rem cum his alijsque Shafteſburius communicat, qui unanimi conſenſu ſic ſtatuunt. Primo fidis hominibus committendam Turris Londinenſis expugnationem: ipſam deinde urbem in varias Regiones dividendam, & unicuique præficiendum virum fortem, qui tentatis civium animis ediſcant, quot quâque regione educi milites poſſint. Tum deliberatū de modo quo invadi expugnarique poſſit miles Prætorianus, ne junctus fidis Regi ſubditis, fœderatorum conſilia perturbet. Neque omittendum, ut miſſis nuntijs, ad partes Scoti traherentur. Demum his peractis ſex Procerum conſilijs Angliam adminiſtrandam, dum coactis Senatus Comitijs, quod genus regiminis Inſulæ maximè eſſet opportunum, ſtatui poſſet. Sed cum moras necterent Proceres, Shafteſburius rem aggrediendam quamprimum cenſuit, ſuis ita viribus fiſus, ut crederet cunctos audito claſſico pro ſe arma ſumpturos.

Solebat quotannis Carolus ſecundus ſub Autumnum Neo-Marketium ſe conferre, Oppidum Cantabrigienſis Agri, amœno loco, & curſibus equorum (quibus mirificè

Digitized by Google

delectabatur) opportuno. Stata illi eundi, & redeundi tempora; & in reditu quidem tenuior corporis cuſtodia. Sita erat Londinum inter & Neo-Marketium, Rumbalbi cujuſdam, hominis Regi peſſimè affecti, ac Factioni devotiſſimi domus, per cujus aream, viæ compendio, rheda Regis agi ſolita. Ædes firmæ, & hortus muro cinctus, adeoque tegendo militi aptus, anſam præbuere cogitandi de inſidijs ibi opportunè collocandis. Placuit tempus locusque, & nulli magis, quàm Rumbaldo loci Domino. Arma itaque coemuntur, Sicarij in diem ſtatutum parantur, Rumbaldo cæteris Præfecto, & ſceleris executionem præcipuè in ſe recipiente. Aſt chariora Superis Regis, Fratrisque capita: quam ut ſinerent utrumque tam triſti ſimul fato occumbere. Utque in omnibus ſe mirabilem exhibet Divini Numinis Providentia, ita hic quam maximè adoranda eſt, dum graviſſimo infortunio, ſummo Regis regnique bono proluſit. Paucis enim diebus priusquam Neo-Markeſio migrandum erat, flamma corripit Equile Regiũ, latèque ſparſo incendio tantam oppidi partem in cineres redegit, ut locus commodo Nobilium hoſpitio deeſſet. Quare præter morem, & ante conſtitutum tempus Londinum regreditur, nondum inſtructis inſidijs. Perculit hic caſus Conjuratos, ut qui Cœlo Regem, Fratemque incendio protegente, excidiſſent opportunâ patrandi facinoris occaſione. Dum autem novas perficiendi parricidij rationes ineunt, Keelingus unus è Conjuratis, conſcientiâ tactus, & ſceleris ſui, & periculi imminentis, Regem monuit. Re detectâ, fugâ ſibi conſulunt nonnulli: capti, atque in carcerem conjecti Ruſſelius, Sydnæus, Eſſexius, Armeſtrongus, & alij minoris notæ complures, atque inter illos Honus quidam, Faber-lignarius. Ducti ad Tribunal priores duo, & hominum omni exceptione majorum, Baronis præſertim Eſcrikij, claro teſtimonio convicti, ſceleris pœ-

nas dedêre, mirando Divinæ Juſtitiæ exemplo. Ruſſelius enim Vice-Comitem Staffordiæ (quem conducti pretio teſtes in causâ oppreſſerânt) ad ferale pegma comitatus, plectendo innocenti inſultârat, jactâratque operam daturum ſe, ut Carnifex frequenti exercitio accuratiùs libraret ictus: cùm ecce vixdum circumacto anno, Reus ipſe, eodem mortis genere, ejuſdemque Carnificis manu, toties omninò iteratis ictibus verum crimen luit. Nec ita multò poſt, Armeſtrongus Eques in Hollandiâ captus, atque in Angliam reductus, capite perduellionem luit. Hic ille eſt, qui nullum diem illuxiſſe dixit ſibi lætiorem, quàm quo P. Harcottus Provincialis, ac Socij ſupplicio affecti ſunt; ſed nunc mutatâ rerum ſcenâ, quibus Menſis & Hebdomadæ diebus, Patres capitis cauſam dixêre, fatali ſententiâ damnati, ac morte affecti ſunt: ijſdem Armeſtrongus pro Tribunali ſtetit, decretoriam mortis ſententiam audivit, ac ſuſpendio enectus interijt. Comes Eſſexius, quem Rex plurimis olim beneficijs cumulârat, pudore ſceleris perfuſus, ne ſummo dedecore ad tribunal raperetur, tum Judicum ſententiam, tum manum carnificis prævenit, ac præſectis ſibimetipſi faucibus, ſpontaneâ morte occubuit. *Mira numinis vindicta.*

Honus Faber-lignarius induci vix potuit, ut cauſam capitis diceret, faſſus crimen, cujus arceſſebatur, in ſe nimirùm ſuſcepiſſe Regem ſclopo conficere. Alii complures crimine clarè probato pœnus ſimiliter dedêre.

Atque hinc utriuſque Conjurationis, Oatianæ, & Presbyterianæ, immane diſcrimen menti ſeſe ingerit. In illâ, nemo ſe fugâ ſurripuit, niſi qui ob ſuſceptum Romanâ authoritate Sacerdotium plecti potuiſſet, imo complures ſe judici ſtitere: in hac ſe cuncti ſubduxere, ne ad meritas pœnas poſcerentur, atque inprimis Shafteſburius Comes, qui Conjurationem detegendam veritus, in Hollandiam tempeſtivè profu-

gerat. In illâ teſtes omni ſcelere inquinatiſſimi, è carceribus eruti, aut pretio conducti: in hâc locupletes, claræque inter Cives famæ. In illâ ſolis teſtium verbis actum fuit: In hâc, arma detecta, aliaque formandæ Conjurationi neceſſaria. In illâ Rei in Divini Tribunalis conſpectu, ac Deo in teſtem invocato, omnia pernegant: In hâc reos habemus vel crimen faſſos, vel negare non auſos.

Conjurati nova conſilia ineunt. Sub hoc tempus Carolo ſecundo Rege, Fidem Catholicam profeſſo, pieque defuncto, in regni Fraterni ſolium ſucceſſit Dux Eboracenſis, ac feſtivo omnium gaudio proclamatus eſt Rex Jacobus eo nomine ſecundus. Hinc inquieta Presbyterianorum ingenia, & ad pacẽ reduci neſcia, nova indies conſilia cudere, novos ciere tumultus majoribus animis cæperunt. Horum notiſſima quæque & patibulis addicta capita, quà ex Scotiâ Argylium, quâ ex Angliâ Monumetenſem ſecuta, in Hollandiam trajecêre: ut tutiùs ſua agerent, & apertiùs tandem, paratis copijs, in civile bellum prorumperent. Trimeſtri ſpatio, arma triginta hominum millibus inſtruendis ſummo ſilentio compararunt; pecuniâ ad eâ coemenda, cæterumque apparatum conficiendum, magnâ ex parte, clam inter conventicula per Angliam à Miniſtellis conflatâ. Viſum itaque eſt, paratis jam ad bellum animis & armis, bifariàm copias dividi, præmittique in Scotiam cum militum manu Argylium. Claſſem conſcendit, appellit, militem exponit, Exploratoribus & litteris miſſis Fœderatos ad ſe invitat, maritimam regionem invadit, & in fidos Regi ſubditos dirè graſſatur. Dumque audace conſilio, creſcente indies ſuorum numero, ad regni interiora pergit; à Regijs undequàque cinctus citrà pugnam vincitur. Diffluentibus per noctem copijs, Argylius ruſticum ementitus à ruſtico in palude capitur, ac Edenburgum probroſâ ſtatim pompâ deducitur, nudo nimirùm capite, ligatis poſt tergum manibus, ac præeunte carnifice: cumq;

Argylius in Scotiam ſolvit.

Digitized by Google

priùs proſcriptus fuiſſet, mortique devotus, indictâ ulterius causâ, extremo ſupplicio afficitur. Captus inter cæteros Rumbaldus, qui Regi olim inſidias ſtruxerat, & pariter Edenburgi meritas duplicis conjurationis pœnas ſuſpendio dedit.

Capitur & plectitur.

Monumetenſis exitus.

Solvit interea ex eâdem Hollandiâ Monumetenſis, pari conſilio, paribus armis, pari trium naviũ claſſe; cujus deſcenſus, progreſſus, exitus, nec diſpar ratio; niſi quod, commiſſis cum Rege copijs, poſt trium horarum certamen, totidemque ferè ſuorum millibus in prælio cæſis, profugerit. Poſtridie, paſſuum millibus ſexaginta à certaminis loco Monumetenſis agricolæ cultu, ſine armis, ſine famulo, inter virgulta latens, captus, Londinum perductus, & in eodem quo Staffordius, pegmate, malè conſultam contra Regem optimum rebellionem capite expiavit. Egregius enimverò Princeps, & fato dignus meliore, ſi promptam ad generoſa indolem malignis veteratorum conſilijs à recto devocari & corrumpi non ſiviſſet. Sic inexpectatò erumpens tempeſtas in auctorum capita devoluta, ipſis vim omnem animumque ademit: Regi utrumque auxit, Numine ſuos mirè protegente.

Digitized by Google

Oatis vita, aliorum Teſtium exitus: Catholici omnia paſsi in odium Fidei.

Quid deſideretur in hac Hiſtoriâ.

E Narratâ breviſſimè duplicis conjurationis hiſtoriâ, id unum à nobis fortaſſe deſideretur, paucis ut dicamus, quis Oates, quoque ſupplicio affectus fuerit: ac quali tandem exitu vitam clauſerint, qui ipſi ad opprimendos infami calumniâ Catholicos auxiliarem manum accommodarant. Enimvero ſi de magnis viris ſcire omnia deſiderent Curioſi, crediderimus eos pariter optare, nihil de magnorum malorum authoribus neſcire. Variorum itaque pietate illuſtrium virorum elogijs, Titi Oatis, quæ hactenùs tactæ non ſunt, res geſtas ſubnectemus. Si Jeſuitis conjungi ſe ægre ferat, nomen ſaltem ſuum poſteritati commendari æqui bonique conſulet, cum olim præſertim, ut illud gazulis inſereretur, grandi pecuniâ curaverit.

Oatis natales.

Vitia adoleſcentiæ.

In textrinâ natus Oates, obſcuros vitijs natales illuſtravit, qualemque olim orſurus eſſet telam, vixdum in lucem editus non levibus argumentis oſtendit. Matrem, quæ ex eo gravida dæmonem utero ferre non rarò ſibi in ſomnis videbatur, ipſo in partu tantum non occidit. Domi infans & puer, à turpiſſimo narium profluvio, *fœdiſſimum os*, ab ingenij tarditate, *ſtipes* paſſim audiebat. Litteris deinde diſcen-

Digitized by Google

dis adhibitus, à rixis ad contumelias, ut tota ejus vita luculenter probat; à contumelijs ad mendacia, ut pro tribunali teſtatus eſt Ashburnamus Eques Auratus; à mendacijs demum ad perjuria, ut tabulis obſignatis evincitur, gradum faciens, omnium impar odijs, ac *mendacis* nomine inſignitus, ex Academiâ Cantabrigienſi clam fugam capeſſere coactus eſt.

Status Eccleſiaſticus.

Cum verò litteras primoribus ſaltem labijs deguſtaſſet, àd Pſeudo-Evangelici Præconis munus, quâ arte hactenùs ignotum, ſe admovendum curavit: eo tamen fato, ut è Bobinenſi in Cantio Parochiâ, quàm primam regendam ſuſcepit, propter furta & improbos mores expulſus, ex Haſtingenſi deinde Suſſexienſis Provinciæ oppido, ob infame perjurium, quo Prætoris filium impetierat, carceri datus, ſe fugâ denuo proripuerit. Terrâ non paſſus conſiſtere, expeditionem maritimam experiri voluit: at pari ſemper fortunâ. Brevi enim in Sodomitico crimine deprehenſus, ſuſpendio ex antennis, ægerrimè ſe ſubduxit. Hinc ad ſummam redactus inopiam, ſuadente Ezerele Tongio, alia conſilila cæpit.

Nova conſilia.

Amplectendæ enim Catholicæ fidei deſiderio teneri ſe finxit: ac viri è primariâ nobilitate commendatione, in notitiam Patrum Societatis devenit. Ab his, anteactæ ejus vitæ penitus ignaris, fictis lachrymis, impetravit, ut in Catholicæ Eccleſiæ gremium reciperetur. Valliſoletum deinde atque Audomarum miſſus, qualem ijs in collegijs vitam traduxerit, ſuperius explicuimus. Londinum deinde reverſus, quod, ſuadente Tongio, ſibi propoſuerat, gnaviter executus, Catholicos omnes, ac præſertim Jeſuitas graviſſimâ calumniâ oppreſſit. Dictu haud facilè eſt, quâ benevolentiâ à Catholici nominis hoſtibus exceptus fuerit. Iis adnitentibus in Aulam receptus, eorum menſis adhibitus, pecunijs abunde inſtructus, omnique blanditiarum genere

Fictè Catholicus.

Conjurationem orditur.

Blandè acceptus.

animatus fuit, ut in conjurationis opinione promovendâ ſedulò deſudaret. *Inſoleſcit.* His inſoleſcens, vilis, tantiſque honoribus non aſſuetus homuncio, eò arrogantiâ nobiliſſimos quoſque tractavit, ut ferendo omninò non eſſet: niſi temporum iniquitas, nimiùm impudenti Ganeoni authoritatis tribuentium, eorum quos laceſſiverat efferatos iracundiâ animos compreſſiſſet. Magnificos deinde titulos ſibi aſcivit, ſeque nunc *Servatorem Patriæ*, nunc *Lumen Nationis*, nunc, quia paucis in Hiſpaniâ menſibus degerat, *Doctorem Salmanticenſem* vocitavit.

Patent tandem fraudes.

Sed labente tempore patuit, Conjurationem Oatianam non Catholicis modo, ſed Regiæ etiam Dignitati ruinam minitari. Hinc complures è Proteſtantibus animos ſumere, fraudes detegere, & quibus uſibus machinam illam aptarent hoſtes Regij, palâ facere: ut brevi Angliam tædere cæperit *Servatoris* ſui, & *Lumen*, quod ſalutare multis viſum, ut ferale Meteoron deteſtari. Aulâ tandem expulſus Oates, ác ſtipendio Regio privatus, inter factioſos ſe condere, & eorum in omnibus ſe nutui accommodare neceſſe habuit. Cum ecce ob probroſa in Ducem Eboracenſem infamis linguæ dicteria, *Reus in carcere traditur* actione quam *Scandali Magnatum* vocant, reus denunciatus, centum librarum millibus mulctatur, carcerique, quoad ſolvendo eſſet, adjudicatur.

Sed cum Conjurationis fama vigeret adhuc, viſum eſt Carolo ſecundo Regi, ad eam penitus elidendam, jure cum Oate agere, duplicis eum perjurij depoſcendo: ſtatuto ad cauſam dicendam die ſeptimo & nono Februarij labentis *Perjurij poſtulatur.* anni 1685. Sed Rege è vivis pridiè ſublato, rejecta eſt actio in finem Aprilis. Tunc in Aulâ VVeſtmonaſterienſi, ſedente pro tribunali Jeffreio Barone VVemmio, ſupremo Juſtitiæ Præfecto, luculentiſſimis tum Catholicorum, tum Acatholicorum teſtimonijs, duplicis perjurij convictus eſt; nimirùm Jeſuitarum congreſſui, quem baſim fecerat totius, Conjurationis, quemque ad Equi Albi habitum finxerat, non

Digitized by Google

interfuiſſe : neque cum Irelando, quo juràrat tempore, Londini egiſſe, Eâ inter perorandum petulantiâ uſus eſt, ut caſtigatus propterea à Judice frequenter fuerit. Facta tamen illi poteſtas quicquid poſſit ad ſe defendendũ promendi: aliud tamen notatu dignum vix protulit, quàm quod Teſtium plerique Catholici eſſent, & tam Rex defunctus, quam terna Senatus comitia, fidem ſuo teſtimonio adhibuiſſent. Utrumque ſolidis rationibus rejecit Judex, omnia in temporum iniquitatem refundens. Nam neque Catholici, inquit, à ferendo teſtimonio lege excluduntur, neque Regi aut Senatui vitio vertendum, quod perjuro crediderint, ſed Oati, qui perjurijs tot innocentes mactâſſet. Duodecim-viros deinde de more affatus, totius cauſæ ſummam compendio expoſuit, eâque linguæ diſertiſſimæ vi, de perjurio, de tantâ ſanguinis innocui profuſione, deque impendentibus regno malis, ſi ſcelera tam enormia impunita abirent, elocutus eſt, ut quam tunc habuit orationem, ea in linguas omnes transferri, atque inter præcipua modernæ eloquentiæ monumenta reponi mereatur.

Reffellitur ejus defenſio.

Dilata fuit in ſeptimum Maij, qui S. Michaëlis Apparitioni ſacer eſt, ſententiæ prolatio : quo die Oate ad tribunal producto, Judex debitam tot ſceleribus pœnam irrogavit. Nam veſte, inquit, Canonicâ exutus, per Aulam VVeſtmonaſterienſem, cauſam fronte gerens circumducitor : Numellis tertiò imponitor: bis virgis cæditor: primo ab Aldergatâ (portæ nomen eſt) ad carcerem novæ Portæ, moxque à novâ portâ ad Tyburni furcas. Perpetuo carceri mancipator: ac quinquies in anno, quoad vixerit, Numellis inſeritor, ad perpetuam perjuriorum memoriam.

Condemnatur.

Pœnas ſententiâ inflictas ſolitâ impudentiâ pertulit, donec ad virgas veniretur: tunc verò animum demittere, & ſe tantæ non aſſueſum ſeveritati dicere. Sed ſortem adeo in-

Digitized by Google

felicem imputare ſibi debuit, qui tot Innocentes obruendo meritus nō eſt, ut quicquam de ſuâ nocentis pœnâ remitteretur. Repetitum ſæpius ſuppliciū, ac diuturni carceris moleſtia aperient ipſi fortaſſis oculos. Quos injuſtiſſimâ calumniâ oppreſſit, ij non aliam vindictam expoſcunt, quàm ut de ſceleribus verè doleat, & tantâ ſanguinis innocui effuſione aſperſam conſcientiæ maculam, non fictis lachrymis eluat, vitamque infelicem meliori morte concludat.

Quæ vindicta ab eo expoſcatur.

Bedlooru exitus et aliorū

Huic Oatis cataſtrophe attexere viſum eſt, reliquorum etiam perjurorum miſerandos exitus. Gulielmus Bedlous ab Oate ſecundus, inauſpicatiſſimo obitu infelicem animam mille inter blaſphemias, diraſq; imprecationes evomuit. Jacobus Bedlous, ejus ut ſanguine, ita perjuriis frater natu minor, è medio vitiorum curſu raptus, computreſcere ſibi vivo corpus vidit; adeo ut nec in proximum miſero cubiculum, fœtidiſſimus odor quempiam accedere pateretur. Turbevillius, quà puſtularum graveolente tumore, quà febris ardenti æſtu ad extrema deductus, nunquam non *Staffordium* perterrito ingeminabat ore, quaſi ab eo ad Dei juſtiſſimum vocaretur tribunal, quem nuper necis iniquiſſimæ ſententiæ perjurus addixerat. Eundem *Staffordium*, crebro inter inſomnia ululatu, nominare auditus eſt, alter in eundē perjurus teſtis Dugdallus. Tongius, cujus in Muſæo Oatianæ narrationis ſeries conficta & conſcripta eſt, pediculari morbo confectus, Herodianæ feritatis in innocentes reus, Herodiano exitu infelicem claudere vitam meruit. Alter porrò ſcribendus Tractatus eſſet, ſi ſingula Divinæ vindictæ in reos exercitæ argumenta hîc attexenda forent. Quare hoc univerſim dixiſſe in præſentiarum ſufficiet, neminem ferè eſſe eorum qui iniquiſſimæ huic in Catholicos Conſpirationi nomen dederant, qui non mortis, vel exilii, vel infamiæ publicæ notâ, inſontibus Catholicorum manibus juſta perſolverit: ut ſi omnia omnium ætatum monumenta evolveremus,

Digitized by Google

è nullo exploratum magis fieret, *viros ſanguinum & doloſos non dimidiare dies ſuos*, quam ex infami hac gentis noſtræ in innocuos Dei ſervos excitatâ perſecutione.

Neq; exiſtimare velimus Operis hujus ſtudioſum Lectorem, quod advertat probroſas, in Jeſuitas alioſque reſciſſas, jure publico, actiones; argumẽto id eſſe inſcitiâ potiùs, quàm conſilio, caſu, quam ſponte peccaſſe eos, qui tot inſontium neces, vel optarint, vel procurârint. Quod enim Juſtitiæ aliquando datus ſit Londini locus, id Caroli fel. mem. & Jacobi ſecundi Regum conſilijs animiſque debetur. Accreverat enim Regiæ poteſtati major indies, majorque vis, ex quo Civitas Londinenſis maximâ, poſt hominum memoriam, causâ cadens, & privilegijs omnibus excidens, eam Regi poteſtatem invita conceſſerat, ut poſſit, quos ſciret, optimos Juſtitiæ Miniſtros conſtituere; eos ſcilicet, qui & vellent, & auderent, factioſæ plebis conſilijs ſe opponere. Quod ſi feciſſe octavo abhinc año licuiſſet, & non omnis penes malevolos cives judiciorum poteſtas fuiſſet, tam pudendarum actionum ſcenas neque Urbs, neque Inſula aperuiſſet unquam, vel ſpectaſſet. *Catholici pro fide & veritate plexi*

Pro more autem infenſiſſimis Chriſtiani nominis hoſtibus fuiſſe, fictorum criminum reos, quos perditos vellent, agere; novit quiſquis Neronianæ perſecutionis ſeriem, Juliani Apoſtatæ odia, Valentis furias, vel primis deguſtarit labijs; qui omnes Martyrij gloriam Catholicis invidentes, id vnũ ſatagebant, ut eoſdem populo pro perduellibus, impijs, ſcelerumque omnium conſcijs venditarent; Judæorum æmuli, qui nec alio nomine ipſum mundi Servatorem JESUM morti adjudicârant. Quod priorum ætatum Heroibus evenit, id Catholicorum in Angliâ fatum fuiſſe, varia evincunt argumenta. Ipſe imprimis Oates ſedulo cavit, ut ſolos Catholicos, hujus verò nominis, ad unum omnes

Digitized by Google

reos ageret. Hinc etiam Pontificem Rom. Reges Catholicum & Chriſtianiſſimum, hæreticæ verò pravitatis prorſùs nullum, accuſavit. Accedit primæ Nobilitatis Baronem alioſque, ubi fidei renunciaſſent, libertati mox redditos, ut clarè conſtaret cujus criminis rei priùs detinerentur. Hocque ipſum ſummus Juſtitiæ Præſes Scroggius duobus Nobilibus Catholicis apud ſe fortè prandentibus, & Veneris die carnium eſum recuſantibus teſtatus eſt, eos inquiens accuſatorum gregi annumerandos fuiſſe nunquam, niſi ex ijs eſſent, qui juxta Catholicæ Eccleſiæ leges, carnibus eo die veſci recuſarent. In ipſis porrò cauſis idem ſummus Judex nunquam non probroſiſſimis dicterijs Catholicum lacerabat nomen, omnique contentione laborabat eoſdem in invidiam apud Duodecim-viros, vocare. Cùmque, deteɛtâ jam Conjurationis vanitate, rogaretur aliquando, an conſcientiæ ſtimulis non angeretur, quod tot inſontes Jeſuitas morti addixiſſet? *Eorum*, inquit, *non angor nece, quia per Regni leges Rei erant ſuſcepti Romanâ authoritate Sacerdotij.* Inſtar omninm verò locum obtinet, quod multis, vitæ certa ſpes fieret, ſi Papiſticis, ut vocant, abjuratis erroribus, Eccleſiæ Anglicanæ ſeſe aggregarent. Undè ut nemini dubium eſſe de horum depravatâ voluntate, ita nec de eorum, qui paſſi ſunt, glorioſiſſimis pro Fide & Veritate victorijs vlla poteſt eſſe controverſia.

Exacto opere, Sereniſſime Princeps, Tuis rurſus pedibus advolvimur, faſciculum florum oblaturi, qui Tuâ in areolâ creverunt. Quem nuper ademerunt tribunalia Innocentiæ candorem, eadem rurſus tribunalia reſtituêre. Gratiorem purpuram fuſus in odium fidei ſanguis induxit: ut non immeritò ſperemus cælo jam receptos, totque adeo pro perenni Tua incolumitate acceſſiſſe apud Deum Deprecatores, quot è Tuis Clientibus vitas ſive in cruce, ſivè in carceribus, fictæ nomine proditionis, poſuêre. Horum

ſuffragijs, accedunt omnium, qnotquot hodie ſuperſunt vota, Tuam, Sereniſſime Princeps, ac Regiæ Conjugis Salutem, Tuas Victorias, & nunquam intermoriturum gloriæ temporalis, & æternæ curſum, eodem, quo ſalutem ſuam loco reponentia.

Proteſtatio Authorum.

ADverte, Lector benevole, nos in hoc libello nonnulla quæ miraculis proxima videri poſſint, ita recenſere, & Martyrij aut Sanctimoniæ Appellationem nonnullis ita tribuere: ut illis nullam Apoſtolicæ Sedis approbationem acceſſiſſe, ſed humanâ tantum fide relata eſſe fateamur: hâc verò nullam cuique Martyrij aut Sanctimoniæ appellationem abſolutam conciliare velimus. Priori itaqua Proteſtationi ita adhæremus ac ſi verbo de verbo hic inſerta foret.

F I N I S.

Digitized by Google

Errata.

Pag. 3.	quam *lege*	quem
5.	videbiturque	videreturque
7.	qui exteros	quæ
15.	ornavit	ornaverit
22.	à noſtro commercio	pravo
25.	ſubſtractos	ſubtractos
30.	ſholæ	ſcholæ
64.	paſſus	paſtus
64.	adhuc ſe	adhuc puer ſe
71.	occubentium	occumbentium
72.	ac	an
152.	acceſſere	arceſſere
	Infamæ	Infami.
160.	ut	deleatur.

Reliqua pro ſuâ benignitate dignetur Lector corrigere.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google